

Provinci paradosa

1800

26-208

Charles ...

27

*Inquietum est cor nūm, donec veniat ad te.*

R. 19997

PARADOXA 1751.

8

# FRANCISCI

*Be College San. Sec. etc.*

## SANCTII BROCENSIS


IN INCLYTA SALMANTI-

CENSI ACADEMIA PRIMA-

RII RHETORICES, GRÆCÆQUE

LINGVÆ DOCTORIS.

*Advs Ferdinandus in Broensi*




ANTVERPIÆ,

Ex officina Christophori Plantini,

Architypographi Regij.

M. D. LXXXII.

*Handwritten notes at the bottom of the page.*



5

FRANCISCVS SAN-  
CTIVS BROCENSIS VERI-  
TATIS INDAGATORI, S. P. D.



**N**VETERATA querela est, Lector candide, & in Ciceronem, virósque alios doctissimos saepe iactata, eorum qui agrè ferunt quicquam in litteris innovari extra ea, quæ à præceptoribus suis à Primis annis imbiberunt. Quos video non alia potiore ratione niti, quam ea, quæ ab opificibus solet usurpari: Sic videlicet à suis maioribus accepisse. Quæ ratio in iis tantùm, quæ ad orthodoxam nostram fidem spectant, firma & constans esse deberet: cæteris omnibus in rebus ratione, causa, doctrina, non recepta hominum persuasionem disputandum. Nec id hoc dico, quòd me aut alicuius autorem profitear novitatis, aut eos velim defendere, qui novitatis sese profitentur inventores. Ego etenim quo potui semper conatu antiquitatis & amator, & investigator extiti: unde factum est, ut cum peruetera doceam, sed inaudita plerisque, rerum novarum excogitator appeller. Cur, obsecro te, qui nitorem incultis, obscuris lucem, barbaris elegantiam restituit, no-



*uitatis crimine sit condemnandus? Cur istis potius non venit in mentem non ita pridem mille quingentas fere glossas ex iure Pontificio esse sublatas, quas hactenus & vulgus doctorum approbauerat, & multi non parua volumina in illis interpretandis consumpserant? Quo solo argumento possem istorum os facillimè obturare: multa scilicet hactenus pro veris esse tradita; quæ si acriore censuralimentur, à veritatis commercio sint explodenda. Proinde non abs te peto, Lector candidè, vt me vera dicentem aduersus rabulas istos tuearis: noui enim quàm sit eorum curta supellex; noruntque omnes altius Lunam currere, quàm vt canum latratibus possit infestari: Sed vt hac, quo emittuntur animo, legas, & accipias. Vale.*

VNIUS

5

# VNIUS VOCIS VNICA<sup>S</sup> EST SIGNIFICATIO.

**I**QUIS primo intuitu nos paradoxon, non veram sententiam, proponere arbitretur, audiat Aristotelem, quem sententiæ nostræ præcipuum facimus adsertoré; qui res natura diuersas vno nomine posse quidem vocari docet, sed per analogiam, id est, comparisonem, vel proportionem. *Homonyma* (inquit) *dicuntur quorum solum nomen commune est, definitio verò natura circa illud nomen alia atq. alia: ut animal quod est homo, & id quod pingitur.* Quo in loco perperam vertit Boëthius, *Æquiuoca dicuntur.* Nam neq. æquiuocum vox Latina est, neque satis ad Aristotelis mētem accommodata. Homonymon enim concors in voce, seu simile in voce significat. Itaq. tolerabilius verteret, *Analogia dicuntur, &c.* Ego certè, si nominibus barbaris vti liceret, quæ isti vocant æquiuoca, vniuoca nūcuparem; & rursus quæ illis vniuoca, mihi essent æquiuoca. Id quod Aristotelea exempla ostendunt planissimè. Quæ si hebes Dialecticorum acumen considerasset, non inter tot tenebras hæctenus versarentur. Nec quisquam mihi iure obiiciet tot temporum curricula in quibus semper hæc ita tradita sunt, & pro veris habita, nam *possessor mala fidei* (ut est apud Iureconsultos) *iniquum potest prescribere.* *Nobis* (inquit D. Aquinas) *qui ratione vincimus, frustra consuetudo obicitur, quæ consuetudo maior sit veritate.* Diuus certè Thomas diligentissimus Aristotelis & veritatis interpres, sepe alias, sed in illo præcipuè Porphyrij, *Siquis*

*omnia entia dicat, æquiuocè nuncupabit: æquiuocè, inquit, id est analogicè. Rodolphus Agricola lib. 1. c. 23. Homonyma vertit agnominatorem. Ego verò quatuor potissimùm rationibus adducor, quibus æquiuoca ista radicitus putem extirpanda.*

1. Si voces (vt ait Plato in Cratylō & Aul. Gellius lib. 10. cap. 4. & diuinæ litteræ nos passim docent) natura significant, quonā, obsecro, pacto vno eodemq. nomine diuersæ naturæ nuncupabuntur? Sin autem (vt docet Aristoteles, qui cum Platone non pugnat, modò rectè intelligatur) significant ex instituto (institutum autem seu ad placitum inteligo prudentiū virorum, qui rerum respecta natura nomina solent imponere) dementem & insanum impositorem vocum iudicemus oportet, qui mensam & librum vno nomine nominari præcepit.

2. Præterea si essent æquiuoca. i. quæ ex æquo & æqualiter plura significarent, perpetuò nobis esset vtendum adiectiuis nominibus, aut aliqua alia distinctione, qua res inter se differrent. Nec enim satis esset dicere, vidi canem, aut mordet canis, nisi adderes terrenum, caelestem, vel marinum.

3. Adde quòd negligentem & deminutum iudicemus Aristotelem, si nullam analogiæ regulā tradidisset, quæ ita erat ad syllogismos necessaria, quàm qua maximè. Sed nullam aliam nobis, præter hanc, præscripsit, necesse est igitur illam sic interpretemur: Analoga dicuntur, &c.

4. Postremò memouent doctissimorum testimonia. Cicero enim lib. vltimo, epist. 17. docet verborū domicilium in re vna esse proprium, migrationes in alienum multas. Aul. Gell. lib. 11. c. 12. *Chrysippus ait,*

imane verbum ambiguum natura esse, quoniam ex eodem duo vel plura accipi possunt. Diodorus autem, cui Crono cognomen fuit, nullum, inquit, verbum est ambiguum, nec quisquam ambiguum dicit aut sentit. Nec aliud dici videri debet, quam quod se dicere sentit is, qui dicit. At cum ego, inquit, aliud sensi, tu aliud accepisti, obscure magis dictum, quam ambiguum videri potest. Ambigui enim verbi natura illi esse debuit, ut qui diceret, duo vel plura diceret: nemo autem duo vel plura dicit, qui sentit vnum dicere. Hæc Gellius. Cæsar Scaliger in calce libri De causis linguæ Latinæ rectè carpit Noniū Marcellum & alios, qui cum De sermonis proprietate libros inscripissent, multa significatorum monstra vni eidemq. voci designarunt. Tunc subdit: *vnius namq. vocis vna tantum sit significatio propria, ac princeps: cetera aut communes, aut accessorie, aut spurie.* Foreirus Lusitanus super Esiā multis in locis, sed præcipuè cap. 8. in principio, Ego, inquit, *in hac semper sui sententia, ut non nisi vnam habere significationem verba Hebræa existimare.* Valla lib. 6. c. 3. contra Nonium Marcel. sic ait: *Nam quis credit auctores vni dictioni tot significata, & quidem pro se quemque noua dare voluisse; tanquam linguam ipsam confundere cuperent?* Vide eodè lib. c. 5. 8. 11. 12.

Sed antequàm ad exempla transeo, sex præmittendæ sunt regulæ, quibus totum negotium dilucidè explicabitur, & assertio nostra constabitur.

1. Hæc doctrina in nominum & verborum rectis intelligitur: hi enim sunt propria rerum nomina. *Catonis & Catoni* (inquit Aristo.) *non sunt nomina, sed casus nominis: sicut sanabitur & sanabatur, non sunt verba, sed casus verbi.* Frustra igitur mihi obicies ducis, ducis esse nomina & esse verba, ac proinde ambigua:

fic legis, legi, leges: sic vis nomen & verbum: sic auis, quæ volat, & auis datiuus ab auus: sic satis aduerbiu, & à fata factorum: sic canis verbum, & canis nomen, quanquam antiqui, hæc canes, vt hæc vulpes, dixerit. Sub hac etiam doctrina volo cõprehendi rectos plurales qui aliis singularibus assimilantur: vt prudentia in plurali, cum prudentia: sic temperantia, continentia, & alia huiusmodi. Quanquam & his alia commodior potest reddi ratio; quia nomina adiectiua nõ faciunt cum substantiuis ambiguitatem, vt pote quæ sola in oratione sine substantiuo non ponantur. & ita multum differt auditus sermo, ab auditis us; & cæcus homo, à census us; & gustatus cibus, à gustatus is; sic multa pro pœna, & multa virtus, quauis multa aliqui scribant.

2. Inspicienda est diligenter prima nominum forma & impositio. Nam aliter multa mihi obiciet, etiã in rectis, quæ omnino ambigua videantur: vt ligo, omnis, & ligo, as; sic lens pro verme & legumine: frons pro folio, & parte capitis. Cui obiectioni sic respondeo. Antiquitus (teste Sosipatro Charisio, & M. Varro) nullum nomen in duas consonantes desinebat: vnde etiam sæpe legimus hæc sepes, trabes, plebes, fortis. Testimonia lege apud Priscian. lib. 7. Varronis accipe verba ex lib. 9. *Videmus, inquit, ex his verbis trabes, duces, de extrema syllaba, e, litteram exclusam, & ideo in singulari factum esse trabs, dux.* Hæc ille. ego addo: Cùm e, vel r, auferitur, si tres remanent consonantes, perit penultima: vt hæc frondes, frons: hæc frontes, frons: hæc lentis, lens: hæc lendes, lens. Non tamen omittenda est Charisij differētia: *Pros* (inquit) *sine r littera, ne faciat, inquit Plinius, frontis*: citatque bis

bis Varronem sic, *vlmos & populos vnde est fros. fœm, fros, fœnum, messis.* Ego tamen apud Lucretium fruns & frundes semper inuenio; & ita legendū apud Virgilium & Ouid. Seruius & alij contendunt. At de Ligo (inquis) quomodo te expedies? Inspice, inquit, primam formam ligo, cudon, vdon, harpagon, māgon; nam legimus apud poëtas cudonas, & harpagonas. Sed Latini (vt ait Priscian.) solēt auferre n, his nominibus: vt Plato pro Platon; sic Vangio, Brito, Agamemno; sic harpago, ligo, pro ligo; sic turbo, vel turbon, quod semper facit onis, contra Grammaticorum recentiorum differentiam: nam cum legis turbinis & turbonibus, est ab hic turben; vt ex Cesare & Plinio dicitur at Charisius.

Nec nisi etiam fraudi sint variā linguarū idiomata. Saepe namq. sic cōtinget vt vna voce multa significentur. Lusitani enuntiant VN GRAN RATO. nos item eodem modo: at illi magnum murem significant, nos spacium temporis.

Ergo pro causa Græcus casus est ab ergon; Latinis est coniunctio: & fortasse semper vtrunq. idem est.

Hic seps pro fera Græcum est, & à putredine dicitur: hæc sepes, vnde seps Latinis est vallum.

Græcè mna, vnde mina: Latinis minæ pro interminatione.

Hic axis pro fera, Græcū; pro parte curtus, Latinū.

Hic cassis, is, pro rete Latinum: hæc cassis, dis, pro greca Græcum: vnde cassida in accusatiuo.

Pax, Græcis est a verbū silentij, cum digitus ori apponitur: non admittantis vt docent aliqui. Latinis est quies.

Hic vel hæc calx pro calcaneo, Latinum à calcan-

do: hæc Calx, vel potius chalc, pro lapide cocto Græcum. Aliter Caper de orthograph. Nam pro materia cales scribit, pro parte pedis calx.

Fucus pro ape Latinum; fucus vel phucus pro purpura, Græcum.

Gallus cùm est vox Phrygia, fluuium significat, vbi Cybeles sacerdotes (ob id dicti Galli) emasculabantur. Vide Plin. lib. 5. cap. 32. Idem lib. 35. cap. 12. *Samia testa matris Deum sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant.* Vide Ouid. 4. Fast. ex illo loco: *Cur igitur Gallos, qui se excidere, vocamus, Cùm tantum à Phrygia Galuca distet humus?* Gallos apud Græcos album significat, inde Gallorum gens vocata, quia corporibus albis sint præditi. Vide Ving. lib. 8. *Ancid. de Gallis: Tum lactea colla Aurora innectebant.* Gallus Latinis auis est nota, sed qui Latinè loquuntur solent addere, gallinacens, propter ambiguitatem. Xenophon in Homonymis.

4. Syllabæ quantitas apud Romanos satis superq. distinguebat voces: quod nos, nisi in carmine, non sentimus. Huius generis sunt populus pro arbore prima longa; pro turba, breui. Palas, adis, prima breui: palus, i, prima longa. Vter, tris, prima longa: vter, a, um, prima breui. Labor non ac prima breui; verbum, longa. Colo, as, producit; colo, is, breuiat. Sinus pro gremio, breui. pro vase, longa. Pila lusoria breui, pila pro mortario longa: compilare verò à nullo horum dicitur, sed à Græco, teste Turnebo; nam pileten Æoles furem vocant, Hesiodus philetan. Vide Ios. Scalig. in Festum, compilare.

Plagæ pro funibus illis quibus retia téduntur circa summam & imam partem; aut pro mundi regionibus,

bus, quæ Græcè climata dicuntur, breuiat; pro vulnere producit. Anus, pro vetula, breuiat; pro podice, producit.

Os oris, vnde osculú, producit; os ossis breuiat. Teste D. Aug. in lib. de Grámatica, & l. 3. c. 3. doc. Christ. Lucr. lib. 3. *Ex os & ex aquis tumidos perfluat artus.*

5. Accentus mirè distinguebat ambiguú. nec híc loquor de ridiculis illis sanè, palàm, porrò. hi enim nec erant apud antiquos ante Quintiliani tépora, nec poterant amphiboliam parere, vt in prima regula admonuimus, præsertim cùm porrò pro deinde, merè sit Græcum. Sed de alijs secretioribus, & qui nostras aures omnino fugiunt. Aliter enim enuntiabant seps Græcum, aliter seps Latinum; quoniam illud per eta, i. e. longum scribitur Græcè; hoc per epísilò i. e. tenue. Sed hoc illustremus doctorum testimonijs.

*Lustra* (inquit Festus Pomp.) significant lacunas lutosas, quæ sunt in siluis, a prorum cubilia: à qua similitudine, et qui in locis abditis, & sordidis ventri & desidia operam dant, dicuntur in lustris vitam agere. At quum eiusdem vocabuli prima syllaba producitur, significat nunc tempus quinquennale, nunc populi lustrationem. illud à luto, hoc à luendo: *Adeo* (inquit idem) duas habet significaciones: nam cùm prima syllaba acuta effertur, idè significat quod accedo: vt cùm dicimus, adeo prætorem: cùm autem secunda, id est quod vsq; eò: non quidem secundum rationem, quia ad præpositio accusatiuis accomodata est, sed vetusta quadam loquendi consuetudine. Vide Festum in vocib. Ergo, muscerda, parret, pone, sagaces, quãdo. & Aul. Gelliù lib. 6. c. 14. de quiesco.

*Quidam* (inquit M. Varro) reprehendunt, quòd pluit, & luit dicamus in præterito & præsentis tempore, cùm analogia



nalogia sui cuiusque temporis verba debeant discrimina-  
re: falluntur, nam est, ac putant, aliter: quod in preteritis  
v. dicimus longum luit, pluit: in presenti breue luit pluit.  
Ideoque in venditionis lege fundi, ruta cæsa ita dicimus, vt  
v. producamus.

Donatus ad illud Terent. *Filium perduxere, vt vna  
esset. i. vt cibum capiat & correptè.* Item ad illud, vt de  
symbolis *essemus, melius, inquit, essemus producta e litte-  
ra.* Ego in illis locis corruptum existimo Donatū, sed  
tamen id quod volumus, ostendit. Cicero in Oratore  
perfecto docet inelytus prima breui enunciari, infa-  
nus prima longa. De hac re vide pulchrum apud Aul.  
Gell. lib. 9. cap. 6.

6. Euphemismos. i. bona ominatio (inquit Deme-  
trius Phaler.) est figura quæ odiosas res bonis verbis  
edit, & impia itidem facta, pius. Hinc multa dicuntur  
in cōtrariam significationem: vt benedicere, pro ma-  
ledicere saepe in factis litteris: vt 3. Reg. cap. 21. *Bene-  
dixit Naboth Deum, & regem.* Job c. 1. *Nisi in facie be-  
nedixerit tibi.* Ibid. c. 2. *Videbis quod in facie benedicat  
tibi.* Ibid. *Benedic Deo, & morere.* Sic sperare pro time-  
re: sic potiri hostium, & potitus hostium apud Plau-  
tum in Captiuis, pro captiuum esse: sacer pro execra-  
do, &c. Antiqui summopere obseruabant auguria, sed  
illa præcipue quæ ab hominum ore prodibant, quæ  
propriè omina vocabantur: Hispanè Alfil Toledano.  
Cic. 1. de Diuinat. *Neque solum Deorum voces Pytha-  
gorei obseruauerunt, sed etiam hominum, quæ vocat omi-  
na: quæ maiores nostri quia valere censebant, idcirco om-  
nibus rebus agendis QVOD BONVM, FAVSTVM,  
FELIX, FORTVNATVM QVE ESSET præfaban-  
tur. Rebuꝫ diuinis, quæ publicè fieret, vt FAVERENT*

LINGVIS imperabatur, &c. Fauere autem linguis non intelligo idem esse quod tacere, vt multi arbitratur, sed bona verba dicere: nam credebant vitari sacra, si quis dura, mala, vel ominosa verba loqueretur. Tibull. lib. 2. eleg. 2. *Dicamus bona verba (venit natalis) ad aras: Quisquis ades lingua vir mulierq<sub>3</sub> faue.* Ouid. 1. Fast. *Prospera lux oritur, linguisq<sub>3</sub> animisq<sub>3</sub> fauete: Nunc dicenda bono sunt bona verba die.* Horat. 3. Carm. *Male ominatis parcite verbis.* Sed exemplis agamus.

Adoleo & adolesco crescere est, sed in sacris (vt notat Seruius ad illud Virg. 4. Georg. *Pancheis adolescunt ignibus ara*) incendere & cremare, sed per figuram euphemismon. Nam quia victima & altare verbenis, ture, vino, & exus credebant & augebantur, dictum est adolere pro cremare, vide Festum & Nonium.

Mactare ex eodem omine dictum est pro interficere, cum proprie sit augere, hoc est magis auctare, vnde mactus, id est magis auctus. Seruius ad illud Virg. *Mactam lectis de more bidentes, verbum sacrorum* inquit, per euphemismon, vt adolere.

Recte pro nihil, aut non, aut male. Terent. Heaut. *um quod deus ei recte est, nam nihil esse mihi religio est dicere.* Idem Eun. *Non quid vis? C. recte, id est non, vel nihil.* Plaut. Afinar. *Hec recte que tu in nos dicis, atque atque argentum meum est.*

Sacer dicitur esse nomen medium: vt Grecis Anathema, & nunc in bonam, nunc in malam partem accipi. Sed quid sit homo sacer, vel Anathema, ab antiquissima historia petendum, quam narrat Io. Z. res hist. or. 23. Chulad. 5. Cuius carmina sic vertebant:

*Carmina*

*Catharma quondam tale purgamen fuit  
 Si pestis, aut fames, vel alia calamitas  
 Vexaret urbem ira Deorum percitum,  
 Ad victimam deformis ante omnes homo  
 Purgamen atque pharmacus ductus fuit.  
 Cum ventum ad aram est, caseum, ficus, ador  
 Ipsi in manum dabant: deinde septies  
 Pudenda scillis verberabant victima,  
 Caprifico, & aliis ferculis agrestibus.  
 Agrestiumq; trebant ramis arborum  
 Devota membra: tum sacrum cinerem gravis  
 Leuamen urbis ventulabant in mare.*

Hæc ille atque alia: citatq; testem Lycophronem &  
 Hipponactem. Idem Chiliada 8. linctor. 239. cineres  
 spargi solitos addit per totam ciuitatem. Suidas præ-  
 terea in dictione Peripsema, addit dicere solitos ciues  
 ad huiusmodi anathemata: *Purgamen pro nobis esto,  
 salus, & redemptio.*

Huiusmodi sacrificium Hebrais vocabatur Aza-  
 zel. i. caper emillarius: de quo Leuit. cap. 16. ab Ez. i.  
 caper, & Azal. i. abiit. Græcis Apotropaon, siue Apo-  
 pompaon, id est malorum depulsio. Dicebatur etiam  
 propriè Anathema. Itaque Sacer apud Latinos idem  
 est quod anathema Græcis, & ita per euphemismon  
 pro execrando accipitur. Quæquam Monachus Me-  
 nesus, qui de accentibus scripsit, aliter questionem  
 soluit: contendit enim in sacris Bibliis duo esse nomi-  
 na Anathema, & Anathema: & illud cum accentu  
 in antepenultima & cum epitheto in penultima semper  
 accipi in malam partem pro execrando: at cum ac-  
 centu

cētu in penultima, & eta, i. z longo, semper accipi pro donatio, vel re templis dicata. Ego scripturam quidē in Bibliis Græcis sic reperiri animaduerti, sed quomodo ab eodem verbo *anathema* duo ducantur nomina contrariæ significationis non video. Vnum semper nomē est anathema siue anathēma, vt sacer apud Latinos. Quid est igitur illud tam crebrò in Cōciliis repetitum, *Anathema sit*? Respondeo primū posse dici per Euphemismon: vt benedicere, pro maledicere: quasi dicat: Anathema sit, id est, sit benedictus. Quia viros sanctos non decet maledicere. Deinde respondeo, posse etiam intelligi iuxta propriam & genuinā nominis notionem: Anathema sit, id est, sit peccatum pro toto populo, sit deuotio, ferat omnia populi peccata. Ita D. Paulus ad Rom. 9. optabat esse anathema post Christum pro fratribus, id est, se deuotere & hostiam fieri à Christo. i. post Christum. quia Christus fuit pro nobis hostia, & factus est pro nobis peccatū, cum peccatum non haberet: Et verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Festus in voce Sacer, mihi non placet, aut eius verba corrupta leguntur. Illud verò Virgilij, *auri sacra fames*: alia res est. Nam Græci *ieron.* i. sacrum pro magno solent viurpare, vnde os sacrum. i. magnum: & morbus sacer. i. magnus vel comitalis. Ita Plutarchus de industria animalium. Vnde Adag. *sacram ancoram soluere* i. magnam.

Alter in auguriis dicebant pro non bono, vt ait Festus in dictione Altera auis. Et in senatu dicebat consul: *Qui hoc sentitis, huc trāsite: qui alia omnia, illuc.* i. qui negatis, vel dissentitis. Cic lib. 1. epist. De tribus legatis, frequentes iere in alia omnia. i. dissensere. & lib.

lib. 10. Eum senatus reliquit, & in alia omnia discessit. Vide Suidam in voce Eumenides: & Callias.

## DE ANALOGIA SIGNIFICATIONVM.

His regulis premissis, ad analogiam significationum transeamus.

Ius iuris proprie significat diarium, siue portionem victus. Antiqui enim (vt inquit Valer. Maxim. lib. 2.) adeo erant continentiae attenti, vt frequentior apud eos pulvis vsus, quam panis esset. Plin. lib. 18. cap. 8. Pulce autem, non pane vixisse longo tempore Romanos manifestum, quoniam inde & pulmentaria hodie quoque dicuntur. Non itaque vescabantur carnibus, sed olenibus aut pulcibus, totumq; edulium ius vocabant Horat. 2. Serm. *Est opus apertium duplicis cognoscere iuris Naturam.* Huius autem iuris in conuiuiis partes dabantur vnicuique partes: vnde Homerus, conuiuium aequale ferè semper nominat. Vocabantur virtute duplicia (vt ait Varro) quibus in conuiuiis ob virtutem duplicia vt darentur cibaria fuit institutum. Cuius rei etiam in sacris Bibliis fit mentio. Nam Genes. cap. 43. maior portio data est Benjamin, quam ceterorum cuiuslibet. Itaq; proprie ius est quod Hispanè dicimus *Quinon*, parte, porcion, ordinario. Grecis est *Chœnix*, id est, dimensum (vt vocauit Terentius) Hebreis est *Man*. à verbo *manâ*, id est diuisit vel numerauit. Nam vbilegitur Daniel. cap. 1. *Et constituit illis rex annonam per singulos dies de cibis suis*: Hebraicè legitur *manâ*. Hinc igitur metaphoricè ius vocatur munus illud quod suum cuique tribuit.

Vertex (inquit Fabius lib. 8. cap. 2.) est contorta in se aqua, vel quicquid aliud simile vertitur: inde propter fluxum capillorum pars est summa capitis. & ex hoc, quod est in montibus eminentissimū. Valla lib. 6. cap. 11. Rectè (inquit) dixeris hac omnia vertices, propriè tamen vnde initium est. Quare nemini debet mirum videri, cur interdum vna vox plura significet. Hac illi, ego tamen magis assentior Charitho lib. 1. Vertex (inquit) à vertendo, vortex à vorando: & vult Plinius verticem immanem vim impetus habere: vt *ingens à vertice pontus*: vorticem vero circumactione vndæ esse: vt, *Et rapidus vorat equore vortex*. Caper Grammaticus: Vertex fluminis est, vertex capitis.

Tempus, vt Varro scribit, est mundi intervallū & motus diuisum in partes aliquot, ab Solis & Lunæ cursu, à quorum tenore temperato tempus dictū est. Tempora in capite, Hispan. *las sienes*, ob id dicta putant, quòd ab his indicia petamus senectutis. Posuit enim natura in multis animantibus ætatis signa: vt veterinis & ouibus in dentibus, ceruis in cornibus: sic homines in temporibus gerunt ætatem. Vnde Homerus senes vocat *Polioirotaphos*, id est, canorū temporum, quia plurimum inde canii incipiunt. Nā priora capitis humiditas pituita que plus habent, quam posteriora. Virg. 5. *Aneid. Amula nec dum Temporibus geminis canebat sparsa senectus*. Vide Alex. Aphrodis. problemata: & Columellam lib. 6. cap. 29.

Nepos (inquit Charisius) significat & certū cognitionis gradum, & rei vitæ consumptorem. Mihi tantum significat filiorum filium. Romani pueri patris tradebantur erudiendi, & castigandi: vnde prouerbiū; *Nec sis patrum mihi*. Quia patrum, etiā si amēt,



nesciunt ad peccata conuiuere. Aui contra impotentius amant, omnia indulgent, castigare nesciunt. Inde nepotes euadunt perditissimi. Aristoteles 3. Ethic. in calce intemperantiam vocat *Acolassiam*, id est incastigationem; & acolasti dicuntur incastigati. Tales igitur sunt nepotes. Inuenio & apud Græcos Nepodes vocari nepotes, quasi sine pede, hoc est fundamento: quia filiis fundamentum rei familiaris non erunt: dilapidant enim rem familiarem. Qui deducunt à nepa, i. scorpione, quia filios deuorat, mihi non placeñt.

Tollere liberos, tollere onera, tollere in crucé, tollere aliquem è medio vel è vita, semper est subleuare. Sed tollere pro educare vel habere filios, ex antiqua consuetudine petendum. Antiquius pueri recenter nati terram primum omnium tangebant, tanquã rerum omnium partem, auter est Plinius in proœmio lib. 7. Tertulliani verba sunt: *Dum prima etiam constituto infantis super terram statim Edæe sacrum est.* Sapientia. c. 7. *Et ego natus accepi comminem aërem, & in similitur factam decidi terram.* Sic positum infantem patres solebant statim alleuare: qui autem non tollebatur, vt abdicatus & proiectus habebatur, idque inauspicatũ habebatur. Papinius vltima filia deplorat seruulum immatura morte surreptũ, sed antè donatum libertate, hæc addens: *Mois ille, meus, tellure cadentem Excepi.* vide Tutneb. lib. 22, c. 11. & lib. 4. c. 15. D. August. lib. 4. de Ciuit. Dei. c. 11. *Ipse leuet de terra, & vocatur dea Leuana.*

Cernere (inquunt) est videre, est pugnare, & cernere hereditatem, est adire hereditatem. Non ita est: nam proprie cernere est separare fursures à farina. i. cribrare: Hispanè, *cerner*. Plin. lib. 18 c. 11. *Posteaq,*

gypsi pars quarta inspargitur, atq; ut cohaeserit, farinario cribro subcernunt, quae in eo remansit, exceptitia appellatur, & grandissima est: rursus quae transit, ardore cernitur, & secundaria vocatur. Haec Plinius. Cum igitur cernere sit propriè separare furfures à farina, nō malè pro discernere, & discriminare cepit accipi: deinde etiam pro dimicare, quia olim lites omnes & praecipuè de terminis agrorum ferro decernebatur. Et Stobaeus sermone 8. ex libro De moribus gentium Nicolai haec refert. *Umbri cum controversias inter se haberent, pugnant armati, sicut in bello, & qui suos adversarios interemerint, iustiores causam habuisse videntur.* Unde Ennius apud Ciceronem: *Ferro, nō auro vitam cernamus utriq;.* Et Virgil. 12. *Aeneid Inter se couisse viros decernere ferro.* Sic enim legit Faernus ex antiquis codicibus. Postremo, cum ait Ulpianus: *Titius heres esto, cernitoq; in diebus centum proximis, quibus fueris, poteritq;: nisi ita creueris, exheres esto:* Cernere pro deliberare accipitur: Nam *creatio* est certorum dierum spacium, quod datur instituto heredi ad deliberandum utrum expediat ei adire hereditatē, necne. Varro. lib. 5. dum huius verbi etymon conatur indagare, tres significationes sic ad vnam reducit: *Dictum cerno à creo, id est, à creando, ab eo quod cum quid creatum est, tum deniq; videtur. Hinc fines capillorum discreti, quod finis videtur discrimen. Cernito in testamento, id est, facito, videat te esse heredem, &c.* Hic Varro mihi non magnoperè placet, sed tamen quod volumus efficit. Ego certè multo antè docui, quod postea Iosepho Scaligero placere animaduerti, cerno à crino Graeco deduci, id est, iudico: Unde crimen, de quo iudicatur, & crines qui discernuntur.



Opus (si carnificibus linguæ Latinæ, id est, Grammaticis credas) in mille munia distrahitur; nunc enim substantiuè indeclinabile, nunc adiectiuè indeclinabile accipiunt, & omnibus ferè casibus iungi posse asseuerant: quin etiam sunt qui, opus habeo, pro necesse est mihi, dicant. Ego hæc omnia puto deliramenta. Nam nec opus sumitur pro necesse est, nec aliud vquam significat, quàm hoc nomen opus, operis: vt opera nostra, opera regis. Nā cum dicitis: libri sunt mihi opus, significas, libros esse mihi omnia. Hispanè, *el todo*: cum autem dicitis: opus est mihi libris, dicitis, totum negotium esse mihi in libris: sic opus est factio. i. negotium & difficultas. siue visus est in factio. Sic Virg. *Nunc viribus vsus*. i. nunc est vsus, opus, negotium, & tota vis in viribus. Hoc melius intelligetur, si addas adiectiuum: Horat. lib. 1. carn. *Sunt quibus vnum opus est intactæ Palladis urbem carmine perpetuo celebrare.* Virg. 6. *Æneid. Hoc opus, hic labor est.* Cum additur genitiuus, longè alia res est, quàm Grammatici putant. Ouid. *Non minor est virtus, quam querere, parua tuere; Casu inest illic, hic erit vni opus.* i. in hac parte totum est negotium artis. Propert. lib. 2. eleg. 10. *Magni nunc erit oris opus.* i. negotium & labor. Græci dicunt: *ergon eurên*, Cicero vertit, difficile est inuenire.

Volo, as, & volo is, valdè diuersa videntur. Sed accipe M. Varronis verba ex lib. 5. ling. Lat. *Volo à voluntate dictum, & à volatu, quod animus ita est, vt puncto temporis peruolet, quò volt.* Idem lib. 8. *Fit enim vt rectas nonnā quā sit ambiguus. Vt in hoc verbo volo, quod id duo significat, vni à voluntate, alterū à volando: itaq. à volo intelligimus volare & velle.* Hæc verba sunt obiectio contra Varronē, quorū responsio Varroniana desideratur.

Puto

Puto as, propriè est putum facere ( vt ait Varro )  
 Hisp. *podar*, idè antiqui putum putum appellabant.  
 Vnde disputatio & computatio, & putator, qui arbo-  
 res puras facit. Idè ratio putari dicitur, in qua sum-  
 ma sit pura. Sic is sermo, in quo pura disponuntur ver-  
 ba, ne sit confusus, atq. vt diluceat, dicitur disputare.  
 Hæc ferè Varro. Hinc igitur apta est transitio ad co-  
 gitationem, cum in dubiis sententiis amputamus su-  
 perflua, & vnã seligimus, quam sequamur.

Vas vadis, & vas vasis quantum differant, notũ est.  
 Sed vas pro sponfore, antiquitus erat, hic vadis à va-  
 dendo. i. eundo, quia qui vades dabat, vadere ei in vi-  
 bẽm erat necesse. Horat. satyr. 1. *Ille datis vadibus, qui  
 vire extractus in vibem est, solos felices viuentes clamat  
 in vrb* : postea verò ex vadis seu vades factum est vas.  
 At vas pro poculo antiquè vasum dicebatur : vnde  
 vasculum & vasa in plurali. Nonius Marcel. in illo  
 Ciceronis lib. 3. offic. *Vas factus est alter*, notat vas po-  
 situm pro vades. Ac nescio an alibi reperiatur vas in  
 recto pro sponfore.

Flamen masculinè sacerdotem significat, & neu-  
 traliter Batum ventorum; sed pro flatu an in recto re-  
 periat. dubito: in plurali tritum est flamina, & ali-  
 quando in texto casu singulari flamine. Citatur in re-  
 cto singulari ex Arato Ciceronis: *Inferior paulo est  
 Aries, & flamen ad Austri inclinatione*: sed legendum  
 est: *flamina ad Austri*. Quid h. potius hic flamen pro  
 sacerdote scribendum sit duplicem; nam vt Dionysius  
 Halicarn. ait. dicitur à flammeo. i. linteo rubro: non à  
 filamine, vt aiunt Grammatici.

Pecus udis, & pecus oris, sic distinguunt Gramma-  
 tici: *Vna sola pecus inficit omne pecus* ipsi magis ad pe-  
 cudes

cuſes ablegandi. Sofipater Charifius lib. 1. *Alia autem quantum plurali numero per omnes caſus declinetur; nominatiuum tamen ſingularem, vocatiuumq; non habent: ut dapes, preces, proceres, pecudes, fruges, ſances, vires, &c.* Itaque aut caret recto, quod ait Charifius, aut rectum erit, hæc pecudes, is.

Appello as, & appello is, apud antiquos non differbant. Nam appellare erat idem quod applicare: vt, appellare ad molem nauiculam. Poſtea factum eſt, vt pro imponere nomen ſit paululum immutatum: vt appellatus Aphricanus: ex Nonio. Et appellare ſenatum, appellare conſules, quaſi appellare ad maiorem poteſtatem videri dictum poteſt: nam dicitur etiam: appellare Tribunos, & appellare ad Tribunos.

Pois (vt aliquid quoque de Graecis attingamus) varia videtur ſignificare: nam pro portione ſive hauſtu ſæpiſſimè accipiuntur, & non raro pro marito. Sed à portione ad maritum fit elegans tranſlatio. Nam quemadmodum terra portioni ſive aqua miſta arborum & feminum redatur fructu generatiua: ita feminæ miſtus vir procreandorum liberorum eſſe cauſa intelligitur. Hanc Graecam vocem Virgilium habuiſſe ante oculos crediderim, cum 2. Georg. hæc ſcripſit: *Vere tument terre, & genitalis femina poſcunt. Tum pater omnipotens facundis in brioris ather Coniugis in gremio læta descendit, & omnes Magnus alit, magno conmiſtus corpore, fetus.* Huc reſecit illud Iuuenalis Saty. 10. *Quot longa virus exarbeat vno Maara die.*

Calum pro mundo & inſtrumento calandi dicunt accipi, ſed maniſeſto errore, nam calum pro mundo ſeu æthere cum æ, debet ſcribi, quicquid dicat Aldus & alij multi. Nam à Graeco *Koilon*, id eſt, concauum deducitur

deducitur: & id videntur verba Varronis, licet corrupta, sentire. Quæ sic legit, & emendauit Ios. Scalig. *Quare à cano canea, & canille: & conuallis, cauata uallis & cauadium: ut cauum sit ortum, unde omnia apud Hesiodum à caho: à cauo cælum.* Hinc locum Plinij restituit lib. 2. ca. 4. *Cælum quidem haud dubiò cauati argumento diximus, ut interpretatur M. Varro.* legitur cælati pro quo supposui cauati. Sed nemo est ià mediocre eruditus qui pro mundo non scribat cælū, pro instrumento cælum.

Res, multa videtur significare: Vnde Ausonius in monosyllabis quaerit: *Imperium, litern, venerem cur uanaster nes.* Respondeo Res, negotiū. & apud Græcos *Chreia*, *pragma* esse nomina que vocant Dialectici transcendētia, quibus omnia subiiciuntur. Sed tamen significati variatio ex adiunctis dependet. Pro imperio sumpsit Virgilius in illo. *Postquæ res Asia, &c.* Pro line Horat. lib. 1. Saty. *Dubius sum quid faciam, uene relinquam, an rem?* pro uenere passim apud Comicos: ut Terent. *Postquam sensit me tecum rem habere.* Sumitur & pro mulis aliis rebus, sed eadem est significatio. Sed ià aliqua de particulis (quas indeclinabiles vocant) addamus: nec de omnibus, sed que præcipua videantur.

Cum, præpositio, & aduerbium temporis dicitur: sed magno cum errore. Nam cum tēpus significatur, non Cum, sed quum aut quim, debet scribi, antiquitus semper Quom. Hæc Victorinus de orthographia.

Ut, dicunt accipi pro Quauis, sed id imperite docetur. Nam Ut semper & ubi, ne similitudinis est particula, ut ostendemus. Quū videtur accipi pro quauis, deest Esto, fac, da. Omnia. *Protinus ut redeas, facta*

*videbor anus. i. fac vt, esto vt, protinus ventas. Cicero 3. Fin. Esto fecerit. si ita vis. i. esto vt fecerit. Horat. Sat. 6. lib. 1. Namque esto, populus Leuino mallet honore, quam Decio mandare. Quintil. lib. 12. c. 1. Da nunc vt crimine manifesto prematur duex bonus.*

*Vt, dicunt accipi pro Vt iam: Terent. Adelphi. Vt Syre te magnus perdat Iupiter. Catullus in Corni: Iupiter, vt Chalybum omne genus pereat. Horat. 2 Scrim. Iupiter, vt pereat positum tubigine ferrum. Sed in his & aliis quis non videt deesse Oro, precor, qua? Vt in illo Liuij lib. 1. Iupiter pater, si est fas huic Numam, Pompiliu regnare, vt tua signa nobis certa, & clara fiat. Terent. Andr. Deos quæso, vt sit superstes. Cic. 2. Catil. Deos immortales precari, venerari, atque in plorare debemus, vt vibernam defendant.*

*Vt, dicunt negare post verba timoris; quod monstrum ita vulgare est, vt doctis etiã impoluerit. Nam Lambinus, in illo Horat. lib. 1. Satyr. 3. Nam vt frustra cedas meritum maiora subire verbera non vereor: frustra fudat & nihil explicat. Nec intelligit, Vt significare, quemadmodum, vel quomodo, vt si dicas: Literas ad te misi, vereor vt reddantur. Et post verba timoris so- lere apponi has particulas, quemadmodum, vel quomodo, in significatione Vt, tritum est, & peruiulgatũ. Cic. in lib. 11. epist. 10. Timeo, quemadmodum hæc explicare possint. Et cum aliis verbis: Cic. pro Rosc. Postulatio brevis, &, quemodo mihi persuadeo, aliquanto equior. Idem pro Quint. Quem, quomodo nunc intēdit, ne virum quidem tunc putabant. Idem Att. Nam, quomodo nunc est, pedem vbi ponat in suo non habet. i. vt nunc est. Qui docet Vt negare post verba timoris, quid dicent, si post Vt, sequatur negatio: Cic. pro Marcel. Ve-*

reor, ut hoc quod dicam, non perinde intelligi audiri possit, atque ego ipse cogitans sentio. Quem locum quia conatur pervertere Lambinus, alios adiugam. Cic. 2. De leg. Quocirca vereor committere, ut non bene prouisa principia ponantur. Idem 2. Tusc. Et tamen veremur, ut hoc quod a tam multis, & tot locis perferatur, natura non patiatur. Idem Att. lib. 7. Si manet vereor ut exercitum firrum habere non possit. Quintil. lib. 8. c. 3. Oppido, quo sentis si paulum tempore nostre superiores, vereor, ut non tam ferat quisquam. Caesar lib. 5. Gal. cap. 12. Veritus, si ex hybernis fugae similem profectiorem fecisset, ut hostium impetum sustinere non posset. Quem locum pervertere conatur Aldas a Grammaticis deceptus. Plaut. Bacch. 16. Metuo, ut loquere ne possim emolirier. Ne pro non dicebant antiqui, ut saepe Terentius. In omnibus his locis, imò & semper, particula Ut, accipitur pro quomodo vel quemadmodum: ut cum dicimus: Oro te, ut perficias, id est, ita te oro ut perficias. Hoc fortasse durum videbitur iis, qui Latinam linguam ignorant, & aliter sunt imbuti: nos tamen haec latius alibi disputauimus.

Ne, post verba timoris inculcant isti mutare significationem: quid hi dicent mihi, si post Ne, sequatur alia negatio? Cic. Att. lib. 9. Sed timeo ne non impetrem. ibid. lib. 5. Vnum vereor, ne senatus propter vrbuarum rerum metum Pompeium nolit dimittere. Ibid. lib. 14. Vereor ne nihil habuerit. Idem lib. 10. fam. Nil. Non enim vereor, ne non scribendo te expleam. Ibid. lib. 6. Quibus litteris intellexi, te vereri, ne superiores mihi reddita non essent. Sed in his & similib. Ne non est Ut, vel quomodo, vel quemadmodum. Harum verò particularum vsum sic explico: Si timemus

fugienda, dicemus, timeo ne; si verò cupita & optata, dicimus, timeo vt, vel ne non: vt, timeo ne pater veniat; quia nolo patrem venire: timeo vt pater veniat, quia illum venire defidero. Sic loquuntur qui Latine sciunt. Itaq; Ne semper prohibet, dum longa est: vt ne facias, ne dixeris: si verò postponatur & breuietur, alia vox erit, non eadem; vt, credisne, dubitasne? Næ verò cum diphthongo Græca vox est, & significat certè.


Vel, in varias significationes distrahitur. Virgil. *Vel Priamo miscranda manus.* Donatus accipit pro etiam; Budæus in commentariis pro Nam; alij pro saltem. Ego dico deesse alterum vel: nam hæc particula sola poni non potest. Terent. Eun. *Hanc tu mihi vel vi, vel eliam, vel precario facit adas.* tolle hinc duo vel, & videbitur alia significatio. Cic. Q. Tran; *Sunt ista quidem vel magna, vel potius maxima.* tolle secundum membrum. Terent. Trucm. *Sumeret vel fenore, vel alio modo.* Petrus; *Vel duo, vel.* Sed hæc satis erūt ad reliqua, quæ multa supersunt, intelligenda.

Quum hæc scriberem, ecce tandem quidam mihi obiecit: In nominibus propriis me obtinere non posse, quia ambiguitas, siue, vt Barbari vocant, æquiuocatio reperiat. Petrus siquidem & Paulus in hunc & in illum propriè & ex equo possunt cadere. Cui ego respondebam, Cicero, aut Tullius non esse nomina integra, sed partes nominis. Nomen integrum est, Marcus Tullius Cicero: cuius frater Quintus Tullius Cicero vocabatur. Sed quum ambiguitas non timeatur, parte nominis contenti sumus: vt Cicero dixit. Noui ego Salmanticeæ fratres tres generosos



rosos qui Antonij vocabantur, sed cum hac distinctione, Maior, Secundus, Tertius. Duo nunc vivimus Salmanticae litteris humanioribus praefecti, magister uterque, Franciscus uterque, Sanctius uterque, primariae cathedrae rector uterque. Integrum itaque meum nomen est, Magister Franciscus Sanctius Brocensis Rhetorices primariae cathedrae Salmantinae praefectus. Vale.

FRANCISCVS SANCTIVS  
BROCENSIS AUDITORI-  
BUS SVIS S.

 *Vix multa haecenus in vulgus ediderim, reverentia Hispaniae matris impositus sum, ne inter illa & hoc documentum de abusu Latine loquendi insererem: ne videlicet nomen Barbara, quod forsitan immerito apud exteras nationes acquisivit, hoc etiam peccato pro palato confirmaretur. Quis enim iam doctorum Latine loquitur, praecipue apud Italos, postquam Petrum Bembum Latinae linguae instauratorem Latine loquentes audiunt execrantem? Sed tanta est stultorum hominum & praecipue ludimagistrorum perversitas, ut quo magis admoneantur, eo diutius in imbibita opinione perseverent. Quare mihi temperare non potui, quoniam illi mihi tam crebro stomachum moneant, quin etiam cum Hispaniae nostrae nota, qua in hoc tam crasso errore diutius occupetur, hanc assertionem in vulgus comprobatum emitterem. Hoc idem iam ante me asseruit Ferdinandus Puvianus Graece & Latine impense doctus. Hieronymus certe Osorius si se loquentiae omnino tradidisset,*



tradidisset, non excolta illa & numerosa oratione tanto-  
perè valuisset. Nihil est enim quod ita reprobet limata  
orationi, quam illa extemporalis loquendi profluvies.  
Quare vos, Auditores carissimi, experto doctore creden-  
tes stilum diligenter exerceite. verbaq; Latina passim ef-  
futientes communi sensu carere affirmare ne dubitetis.  
Valete.

LATINE LOQUI CORRUMPIT  
IPSAM LATINITATEM.

Obiectio prima.

**V**Sus & experientia dominatur in artibus nec  
vlla est disciplina in qua non peccado dicatur.  
Nam ubi quid perperam administratum essent im-  
prospere, vitatur quod se fecerit, si lumina e, redam  
viam docentis magisterium. Hec Columella lib. 1. c. 1  
*Responsio.*

**V**erè & sapienter Columella si de artibus loqua-  
ris: sed Latine loquendi nulla est ars. Hoc enim  
obseruatione rerum innumerabilium constat. Gram-  
matica, Musica, Rhetorica, & similes errando addis-  
cuntur: sed, ut inquit Fabius lib. 1. c. 6. Aliud est La-  
tine loqui, aliud Grammaticè loqui. Quasi dicas: Li-  
bris opus habeo; Adhibeo tibi fidem; crimen læsæ  
maiestatis; ille tenetur hoc facere; ego amo Deum:  
Grammaticè quidem dicas, Latine non dicas. Nec e-  
nim satis est Latinas querere dictiones, delectus ad-  
hibendus est in verborum cōiunctione, quem isti lo-  
cutuleij miris modis dilacerant. Non enim quicquid  
Latinum est, statim Latine dicitur: Habere oratione  
dicimus, non facere; verba facere, non agere: agere  
gratias,

gratias, non facere; fer opem dicimus, da opem non dicimus: dare verba vſitatum eſt; tradere, ſeu præbere verba inauditum. Quid dicam de illis, qui ſibi docti videntur, & paſſim habentur? Quidam enim ex illis ſcripſit: Vigilant milites in monte, pro ſpeculâtur de monte: tentat frangere aciem, pro conatur aciem perſumpere; dimiſit ſuos milites, pro dimiſit copias, ſeu exercitum; impediuit comitatum, pro intercluſit; victu carebat Cæſar, pro re ſtamentaria; duxit vineas, pro egit; primi in conſilio, pro conſili; principes; reportarunt prædas, pro egerunt; milites monuit, pro hortatus eſt; ſignum fecit, pro ſignum dedit; renouavit prælium, pro reſtituit, aut redintegrauit; acie ordinauit, pro caſtruxit; reſerunt milites, pro receperunt re; miſit ad ſuccurrendum, pro miſit ſubſidio; fecerunt van, pro impetum fecerunt; magnis viſ contentit, pro magnis itineribus; perdidit opportunitatem, pro amiſit occasionem: Sic itaque loquuntur qui linguam, non ſilium exercent.

*Obiectio ſecunda.*

**P**ropter crebras in variis diſciplinis diſputationes Latino ſermone aſſiduè loquendum.

*Reſponſio.*

**S**erias & graues diſputationes litteris, non ventis ſe debere mandari quis eſt qui ignoret, niſi clamorſus diſputator, aut cerebrorſus vociferator? An ideo ſemper aſſuſcendum eſt loquelæ, vt poſtea dicamus, nolitas, voleitas, & per motum præteritionis, dico quod, & nota quo. Pappa habet aures? Quod ſi talis virgeat neceſſitas, qui Latine ſcripſerit, biterones ſuperabit.

*Obiectio tertia.*

**S**i quis linguam Gallicam allequi ſtudeat, optimè illam

illam cum Gallis loquendo comparabit.

*Responsio.*

**D**issimile admodum est linguarum aliquam cum Latina, quæ iam nulla est, comparare. Si vila esset natio quæ purè Latinè loqueretur, nō dubito quin apud illos Latina facilitas loquēdi perdisceretur. Sed nunc soli sunt libri ad quos recurrendum est, si purè Latinè scribere velimus. Idem esto iudicium de Græca, vel Hebræa lingua, quas non vt loquamur, sed vt intelligamus addiscimus.

*Obiectio quarta.*

**N**on desinunt isti onocrotali subinde obiicere, Nesci verius obgānere: moris est vt infantes paruuli papas, mamas, tetas balbutiant, qui tamen postea in melius corrigantur.

*Responsio.*

**N**emo sane mentis talis consilium probabit, vt ineptæ nutrices doceant, quæ postea sint dedocenda. Ego certè, qui plurimos liberos sustuli, nunquam id facti passus, qui Quintiliano auctore didicerim, non assuetendum puerum sermoni, qui dediscendus sit. Quid quòd à optima eodem labore, aut fortasse facilius edocentur.

*Obiectio quinta.*

**S**i Latinè loqui non esset laudabile, non ita passim ab omnibus commendaretur: Et omnes Academia legibus sanxerunt, vt & Latinè legatur, & disputetur.

*Responsio.*

**Q**uasi verò quidquam tam sit valde, quàm nihil sapere, vulgare: vt præclare 2. de Diuinatione scripsit Cicero, sed quoniam tu mihi stultorum turba

bam obiicis, qui Latinè loquentes colūt & admirantur: ego tibi contrà doctissimorum iudicium & consensum opponam, qui huiusmodi pestem, siue loquentiam auersantur.

## CICERO LIB. II. DE ORATORE,

*de exercitatione agens, sic inquit.*

Sed plerique in hoc vocem modo, neq. eam scienter, & vires exercent suas, & linguæ celeritatem incitant, verborumq. frequentia delectantur. In quo fallit eos quod audierunt: Dicendo, homines vt dicant, efficere solere. Verè enim et illud dicitur: Peruersè dicere homines peruenire dicendo facillimè cōsequi. Quamobrem in illis ipsis exercitationibus, & si vtile est etiam subito sapere dicere, tamen illud vtilius sumpto spatio ad cogitandum paratius atq. accuratius dicere. Caput autem est, quod, vt verè dicā, minimè facimus (est enim magni laboris, quem pleriq. fugimus) quamplurimum scribere. Stylus optimus & præstantissimus dicendi effector ac magister.

Cicero primo Offic. §. Intelligendā est etiam, &c. Vt enim sermone eo debemus vti, qui notus est nobis, ne (vt quidam Græca verba inculcantes) iure optimo irrideamur: sic in actiones, omnemq. vitam nullam discrepantiam conferre debemus.

Quintilian. lib. 1. c. 1. Ante omnia ne sit vitiosus sermo nutricibus. Has primùm audivit puer, hanc verba effingere imitando conabitur. Et natura tenacissimi sumus eorum quæ rudibus annis percipimus: vt sapor quo non ambuimus, durat: neque lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt.

possunt. Et hæc ipsa magis pertinaciter hæret, quæ de-  
teriora sunt. Nam bona facillè mutantur in peius: nũc  
quando in bonum verteris vitia? Non assuefcatur ergo,  
ne dum infans quidẽ est, sermoni qui dedicẽdus sit.

Erasmus lib. 8. Apophtheg. sic ait: Pollio dicebat;  
Commodè agendo factum est, vt sepe agerem: sed se-  
pe agendo factum est, vt minus commodè; quia scili-  
cet assiduitate nimia facilitas magis, quàm facultas;  
nec fiducia sed temeritas paratur. Quod accuratè fa-  
ctum velimus, ratò faciendum est. Hacratione duci  
videntur Itali quidam eruditi, qui licet pulchrè cal-  
leant Latinè, tamen vix vnquam adduci possunt, vt in  
familiari congressu Latinè loquantur. At si quando  
compellit necessitas, dicunt exactè, quasi de scripto.  
Nouit Venetia Bernardum Circularium ciuem Flo-  
rentinum, cuius historias si legisses, dixisses alterum  
Sallustium, aut certè Sallustij temporibus scriptas.  
Nunquam tamen ab hominẽ impetrare licuit, vt me-  
cum Latinè loqueretur: subinde interpellabam: sur-  
do loquetis vir præclare, vulgaris linguæ vestratæ tam  
sum ignarus, quàm Indicæ. Verbum Latinũ nunquam  
quiui ab eo extundere. Hæc Erasmus,

Budaus in Comment. Linguae Græcæ, reprehē-  
dens Vallam circa reciprocorum vsũ, sic ait: Id au-  
tem Laurentio non aliàs accidit, quàm ex praua lo-  
quentium consuetudine, quibus aut legendis aut au-  
diendis inuiti erroris contagionem contrahimus: si-  
mul ex sermone extemporali, & neglecto, cui inter fa-  
miliares assuefcimus, præsertim parè Latinitatis ig-  
narus: qua noxa fit interdum, vt quædã imprudenti-  
bus excidat: id quod aliquando experti sumus in auto-  
graphis nostris, ita vt flagitiosè culpæ nos perpuderet.

Cornelius

Cornelius Valerius in fine suæ Syntaxeos: Hanc proprietatem in verborum coniunctione qui non obseruat, nec delectum habet vllum, is Barbarica phrasi omnem peruertit Latinitatem. Quod iis ferè solet accidere qui linguam Latinam ad idioma vernaculum detorquent.

Ioachimus Fortius in libello De ratione studij, cap. De scribendo. Nam ferè fit, vt qui loquuntur accuratè, minus eruditè scribant. Dum enim rerum illarum voluptate afficiuntur, imperfectiores oportet sint in altero. Nemo pari cura res duas vnquam tractauerit. Et infra: Quo pacto id genus homines, qui tãto plausu in tanta nugatorum corona nugari possunt, accuratè quicquam scripserint? Certè neminem vnquam vidi ( nisi me memoria fallat ) doctè scribentem, cui valde in promptu fuit colloquendi, differendiq. ratio. Et infra: Famam puerilem aspernemur, vulgo inertes videamur.

*Ex Bartholomæo Riccio, lib. 3. De imitatione  
Ciceronis, in calce.*

**N**on soleo ego ( ne hoc quoque omittam ) meum discipulum cogere, vt sit plerumque in scholis, quicquid ei dicendum vsu veniat, Latine vt id profectè conetur. Vtrum enim plus commedi, an damni ad Latinam elegantiam, quam nos querimus, hoc afferat studium, nõ planè satis habeo comprobatum. Equidem si meo discipulo cum iis versandum sit, qui tantum eo modo egregie atq. splendide loquatur, in eam cõsuetudinem eum inducerem omnino: id enim fieret, quod nos in nostra lingua, & Romani in hac ipsa sua Latina faciebant; vt nulla difficultate, multa etiam

cum dignitate, quid quid postea vellet, commodè loqueretur. Sed qui hic à libris discessit, aut etià à magistro suo, aliò locutionis suæ rationem referre cogitur, domi, in viis, cum familiaribus, ruri, in urbe, alio etiam modo loquendum est. Huc accedit, quòd infanti puero, dum ea quæ vult, & ex tempore, atq. subito proferre laborat, multis partibus ea plura excidunt, quæ ineptè, quæ inconditè, atq. incompositè, quæ deniq. nullius dignitatis sint, quamque vix tolerabilia sint necesse est. Ita fit, vt dum locutionis studeant celeritati, orationis ornatum omnem, atque dignitatem corrumpant. Quoniam autè quod in quotidiano sermone positum est, nihil admodum Latinæ orationi prodesse videtur ad eam dignitatem, quæ eius linguæ merè germana est, ac omnino ea nobis aliqua exercitatione atque artificio comparanda atq. confirmanda est, equidem id diligentia ab vno stilo, qui dicendi magister, & opifex est optimus, petendum esse censeo.

*Obiectio sexta.*

**P**ropter varia inter gentes commercia aut vt cum externis hominibus colloquantur, nò solùm vtile, sed necessarium aliquando est Latine loqui.

*Responsio.*

**E**go Latinam linguam nò damno, stilum veneros & amplector, in quo qui probè fuerit exercitatus, si necessitas ingruat, repente dicet: da mihi panem, vel aliud oblonium. Multis in locis Cicero commendat stilum & ad Gallum lib. 7. sic scribit: Virge igitur, nec transuersum, quod arant, à stilo, is enim dicendi opifex. Quid dignum illis imprecabor, qui sic admonent pueros: vel malè vel bene loquere cum M? Ex huiusmodi sterquiliniis tantùm accepit lingua Latina labem

&

& calamitatem. Ego denique cum doctissimis, neminem excipio, viris teneo, nulla aut ætate, aut tempore aliena lingua, nedum Latina, esse loquendum.

EXPLODITVR GRAMMATICORVM ANTIPHRAISIS.

**A**D nauseam vsque repetunt indocti Grammatici Antiphrasin figurã: Parcas enim affirmãt dici quia nemini parcût: & lucum, quia minimè lucear, & huiusmodi sexcenta monstra. sed ego illos hîc, vt in aliis omnibus, in mediã luce caligare, vel potius cæcutire ostendam; ac primùm omnium vocem ipsã Antiphrasin ignorant. *ῥησις* enim non dictionem vnicam significat, sed orationem, aut loquendi modũ: vt si queras an, opus habere, sit Latina phrasis, nec ne? itaq; si esset Antiphrasis quam illi somniant, aliter esset appellanda: ego verò Antiphrasin esse nõ inficio, sed longè aliud esse quàm quod isti opinantur assero. Est enim Ironiæ quãdam forma; quũ dicimus negando, id quod debuit affirmari: vt, non mihi displicet, non malè disputat; pro placet, & bene disputat. Plutarchi verba in Homerum hæc sunt, *ἔστι δὲ ἀντιφρασις λέξις, τὸ ἐναντιον, ἢ τὸ παρακείμενον σημάδιον*. i. antiphrasis est sermo (sic n. interpretor *λέξις* ex Aristotele 3. Rhet. in principio) cõtrariũ, quã positũ est, significãs. confirmat hoc tali Homericò exemplo: Neque hos videns gaudius est Achilles. Voluit (inquit) cõtrarium significare. i. videns hos maestus fuit. Hæc Plutarchus. Antiphrasin etiam Iulius Ruffinianus non inter figuras verborum enumerat, sed sententiarum: qui mihi tamen nõ placet, quòd eam Latine vocari ait ommissionem,



nem, vt quum fingimus omittere ea quæ tamen dicimus. Virg.

*Quid repetam exustas Erycino in litore classes?*  
atq. hæc de nomine, nunc rem ipsam excutiamus.

Si Platoni credimus in Cratylo, & Aristoteli tertio Rhetoricorum, qui nomina simulachra quædam & imagines esse asserunt rei illius quam imitatur & nominant: extrema dementia fuerit nomina per contrariū sensum excogitare: quid enim putidius quàm rem aliquam vocari leuem quia sit grauis? vel obscuram quia lucida sit? Nec obstat illud Teren. & aliorū: Ehodum bone vir. i. pessime. Nam hæc mera est Ironia, quum cōtrarium significamus. Aliudq. est tropū efficere, aliud nomina imponere. tum præterea Ironia pronuntiatione & gestu indicat quid velit: Antiphrasis verò si esset ex vsu sic significaret. Antiphrasin Quintil. lib. 8. sub Ironia recenset. Aristophanis interpret in dictione σκολιά negat dici verba à cōtrario sensu: sic, τὰ δὲ δύσφημα ἐπὶ τὸ εὐσημότερον μεταλαμβάνεται, ἔ μιν τοῦ μ. παλιν. i. quæ dura sunt, & malè ominata verba transmutantur in bene ominata, non autem per contrarium. Interpretes Nicandri illud Homeri κύρας ἀργούς per euphemismō, id est, veloces, quia ἀργός semper piger significet i. ἀργός.

Augustinus Dathus iam olim vidit Grammaticorum Antiphrasin vanum esse commentum: isq. libellum edidit De nouè nominibus falso per Antiphrasin dictis. Ego vt illius diligentiam laudo, quòd melius aliquid viderit, ita in etymo explicado longè sæpe ab eo dissentio, vt suis locis demonstrabo. Hæc autem sunt, quæ ipse confutat nomina; Manes; lucus; bellum; officium; Parca; ludus; ocium; Cælum; Eumenides;

Eumenides. Nos alia præterea nonnulla curauimus  
refellenda.

## MANES I.

**M**Anes dici affirmant quòd boni non sint; idque  
testimonio Seruij confirmant, qui 3. Æneid. de  
Polydori tumulto sic inquit: Manes animæ sunt quæ  
egressæ corporibus nondum alia intrant corpora.  
Sunt autem maxime, & dicuntur per Antiphrasin: nã  
manum bonum, vnde mane dictum: vt Eumenides,  
Parcas, bellum, Lucum. Alij manes ducunt à manan-  
do; nam animabus plena sunt omnia inter lunarè cir-  
culum & terram, vnde defluunt. Alij Manes deos in-  
fernales putant. Hactenus Seruius. Augustinus Da-  
thus à manasi Græca dictione quæ furorem aut insa-  
niam significat deducit, vt à mano: ait enim manare  
non tam aquarum fluëtium quàm Solis propriũ esse  
in emittendis radiis: vnde mane originem sumfisse,  
quòd in ea diei hora Sol manare incipiat: sic ille. Sed  
lògè aliter se res habet. Varro De lingua Lat. Antiqui  
(ait) bonum dicebant manum. Nonius Marcellus,  
Manum (inquit) dicitur clarum, vnde etiã mane post  
tenebras noctis diei pars prima: inde Matuta quæ  
Græcè Leucothea. Nam inde volunt etiam deos ma-  
nes appellari, id est, bonos ac prosperos. Festus Pom-  
peius, Manare (inquit) antiqui dicebãt, cùm Solis o-  
rientis radij splendorem iacere cœpissent, à quo & di-  
ctum putabant mane. Alij dictum mane putant ab eo  
quòd manum bonum dicebant. & paullo post: Ma-  
ne à diis Manibus dixerunt, nam mana bona dicitur:  
vnde & mater Matuta, & poma matura. & rursus ma-  
trem Matutam antiqui ob bonitatem appellabant, &  
maturum idoneum esui, & mane principium diei. &

inferi dij manes; vt suppliciter appellati bono essent. Vides Festum, propter codicum deprauationem, sibi non constare: nihilominus tamé elicimus ex illo Manes à manum quod est bonum deduci. Acron in Horatiū, Dij Manes, dij boni à manum quod est bonū, antiqui animum à corpore separabant, manem deum nuncupabant. Hæc ille. Cic. 2. leg. Deorum Manium iura sancta sunt. Sed nullus esset finis si quæ de manibus, lemuribus, atq. laribus sunt disputata à Platone, Plotino, Porphyrio, Psello, Proclo, Apuleio, coner in med. ū afferre. nam nullus ferè cum altero conuenit. Diuus August. lib. 9. c. 11. ciuitatis, Plotini sententiam sic proponit: dicit quidem & animas hominum demones esse, & ex hominibus fieri Lares, si meriti boni sint: Lemures, seu Laruas, si mali Manes auté deos dici quū incertum est, bonorum eos seu malorū esse meritorum. Sic Augustinus. Apuleius de deo Socratis posteaquā quid Genius, quid Lemures, quid Larua sint explicauit, subdit: Quum verò incertum est quæ cuique eorum sortitio euenerit, vtrūne Lar sit an Larua, nomine Manium deūm nuncupant, & honoris gratia Dei vocabulū additū est. : quippe eum eos deos appellēt, qui ex eorum numero iustè ac prudenter vitæ curriculo gubernato fanis & cærimoniis vulgò admittuntur: vt in Bœotia, Amphiaras; in Africa, Mopsus; in Ægypto, Osiris. alius alibi gētium. Æsculapius vbiq. Hæc ille. Hinc natum est illud vulgatum in sepulcris, quod à multis quid sit video ignorari.

D. M.

A CHILLIS

hoc est Diis Manibus Achillis. putāt enim sepulcrum dicari

dicari diis inferis: quare nostri Christiani vt felicius ominarentur, emendarunt, seu corruperunt: potius sic,

DEO OP. MAX. SACRVM.

sed Diis manibus Achillis, aut Aiacis. idē est ac si dicat: Ipsi Achilli sacrum, aut Genio Achillis. Postremò nemo mihi melius quid sint Manes explicasse videtur, quàm Pomponius Mela lib. 1. quum de Augilis Nasamonibus (id est, arenosis) loquitur: Augilæ (inquit) manes tantum deos putant, per eos deierant, eos vt oracula consulunt, precati q̄ que volunt, vbi tumulis incubuere, pro responsis ferunt somnia. quæ verba sumta sunt ex Herodoto in Melpomene quæ de Nasamonibus loquitur, in huc modum: Iurerurando ac diuinatione tali vtuntur: per eos viros, qui iustissimi atque optimi apud illos fuisse dicuntur, iurant, illorū sepulchra tangentes diuinant, ad suorum accedentes monumenta: & illic, vbi preces peregerunt, indormiūt: vbi quodcumque per quietem insomnium viderunt, eo vtuntur. Mela itaq. vocauit Manes quod Herodotus iustissimos atque optimos post mortem. Plinius, quū hæc à Pomponio accepisset, sic mutauit: Augilæ inferos tantum colunt. Rursus à Plinio Solinus: Augilæ verò solos colunt inferos: quàm rectè mutarint ipsi viderint. obscure dixi Virgilius Æneid. 6.

— *Quæ sique suos patitur Manes.*

quod sic explico: quemadmodum qui alios laeserunt, aut necauerunt, patiuntur Lemures, & Laruas interfectorum, vt Orestes, & alii: sic Anchises, & alij boni viri patiebantur proprios Manes, id est, nō prius transibant ad Elysios, quàm propria crimina purgarent.

LVCVS II.

**L**Vcus inquit à lucēdo, quia minimè luceat. Hoc  
C 4                      refellens

refellens Dathus ait, à lucēdo dici fateor; sed per contrarium nequaquam. Idem putat Quinctilianum sentire lucum per Antiphrasin dici: sed ipsi cæteri que Grammatici falluntur, quū, Quinctiliano authore, lucum à non lucendo deducunt. imò verò Quinctilianus irridet illos, qui talia comminiscuntur: inquit enim lib. 1. c. 6. etiam ne à contrariis aliqua sinemus trahi? vt lucus, quia vmbra opacus, parum luceat: & ludus, quia sit longissimè ab lusu? & Dis, quia minimè diues? Hæc Fabius. Ego verò, missis aliorum rationibus, Lucum ab Etrusca voce deductū existimo. Etrusca enim esse nomina Varro in Originibus asserit Luceres, & Lucumones. est porò Etruscis vox Lucà cum accentu in vltima (vt Talmudista aiunt) idem quod senex, siue senator. Et de antiquitate Lucorū & illorum religione pleni sunt poëtarum libri. Téplum Pici (inquit Virgilius.) horrendum erat siluis & religione parentum. i. venerandum, vt Seruius exponit: sed extat apud Lucanū elegans Luci descriptio lib. 3.

*Lucus erat longo nunquam violatus ab auro. &c.*

## BELLVM III.

**B**ellum dicunt, quia non bellum sit. Ridet Dathus & à belluis dici contendit: adducens illud Ciceronis Offic. 1. Nam cū sint duo genera decertandi, vnum per disceptionem, alterum per vim; cum que proprium sit hominis illud, hoc belluarum: confundendum est ad posterius, si vti non licet superiore. sed fallitur Dathus: hæc enim verba nihil quod ad etymon pertineat, probant. accipe igitur veram sententiam. Antiqui duellū antè dicebant, quod postea bellum vocarunt. Ciceronis hæc sunt verba in Oratore perfecto:

perfecto: Quid verò licentius, quàm quòd hominuna etiam nomina contrahebāt, quo essent aptiora? Nam vt duellum bellum, & dvis bis, sic Duellium eum qui Pœnos classe deuicit Bellium nominarunt: quū superiores appellati essent semper Duellij, ex his etiam Ciceronis verbis ridere poteris Grammatistas qui inter duellum & bellum differentiam constituere solebāt: quū idem prorsus significant, nisi velis dicere illud vetus: hoc autem postea vñtatum. Antiquè enim dixit Horatius:

*Gracia Barbarico lento collisâ duello.*

## OFFICIUM IIII.

**O**fficium aiunt ab officiendo, quod nemini officiat, vel noceat. Hoc recte refellit Aug. Dathus ex sententia D. Ambrosij, in lib. de Officiis, dū inquit: Officium littera o mutata quasi efficium dicit; propter decorem sermonis. Hæc ille. Donatus in Adelph. planius id ostendit, inquiens: Officium dicitur quasi efficium ab efficiendo, quod vnicuiq. personę congruit.

## LVDS V.

**L**Vdus, quòd longissimè absit à lusu; citantque Quintilianum lib. 1. c. 6. sed ille, vt monui, irridet illos qui talia docent, Dathus malè se expedit à quaestione, dum disputat ludum litteratum non ad grauiore disciplinae pertinere, sed ad Grammaticam & pueriles institutiones, qui vtique lusus est, præ maioribus & altioribus scientiæ & philosophiæ studiis; in quo quantum fallat, non est difficile explicare: qui constet grauissimorum Oratorum scholas vocari ludos. Cic. de Orat. Isocrates magister istorum omnium cuius è ludo, tanquã ex equo Troiano innumeri principes exierunt: sed etsi demus Dathum vera dicere, nō

tamen propterea ludi etymon inde apparet. Exquiramus igitur primè quam ludi etymologiam; tum deinde, ad ludum litterarum accedemus; cui quæstioni ut rectius satisfaciam, illud admoneo, litteram Græcam  $\gamma$  perpetuò verti apud Latinos in v. ut  $\epsilon\upsilon\omega$  suo,  $\lambda\upsilon\omega$  suo,  $\epsilon\upsilon\gamma\alpha$  fuga; sic à Lydiis ludus dictus. inò & ipsos Lydios ludos vocat Plautus in Aulularia. Historiam sic narrat Herodotus in Clione: Aiunt Lydij ipsi, sese ludos inuenisse, qui etiamnum apud Græcos cum illis communes sunt. simul autem hæc inuenisse, & in Tyrreniam, hoc est Thusciam colonos deduxisse, idq. hanc in modum accidisse referunt: Tèpore Atydis Manis regis filijannonè difficultas per vniuersam Lydiam valde grassabatur: adeò v. Lydij, qui tunc miserè debebant, non cessantes remedia huic malo quærere, diuersa pro se quisque excogitauerit; inuētumq. tunc ab eisdem alex. tesserarumq. ludum, & pi. & ceterorumq. ludorum omnium genera; præterquam talorum: horum enim inuentionem sibi non vendicāt Lydij. Porro ad famem discutiendam altera quidem dierum in totum lusibus occupabātur: ne videlicet ciborum quærendorum solitudine distorquerētur: altera verò à lusibus abstinentes pascebantur. Atque hoc modo annis duodeviginti vixerunt. Hæc Herodotus. Hesy chius tradit à Lydiis inuēta spectacula, & hinc Romanos dixisse ludos. Suidas  $\lambda\upsilon\delta\iota\acute{\alpha}\zeta\epsilon\upsilon$  &  $\lambda\upsilon\delta\iota\zeta\epsilon\upsilon$ , pro eo quod est Lydiorū more viuere. Hæc de vero etymo. Secūdo autē modo ludus pro exercitatione capitur, ut ludus pilæ Græcè  $\gamma\upsilon\mu\acute{\alpha}\sigma\iota\alpha$ , &  $\gamma\upsilon\mu\acute{\alpha}\zeta\epsilon\upsilon$  exerceri in palæstra, in haltère, in disco, & multis huiusmodi. Hinc eodem modo ludus litterarum, id est, gymnasium, vel exercitatio litterarum.

## PARCÆ VI.

**S**eruius in illo Virgil. *sic voluere Parcas*: dicitur, Inquit, Parcæ per antiphrasin, id est, contrarium sermonem, quia nemini parcant: sic lucus, quod non luceat: Bellum, quod nulla res bella in eo sit. Augustinus Dathus ibidem, post Seruium non probat Antiphrasin, longamque texit disputationem de nomine parcus; deinde ab illo deducit Parcas, quia parcè nobis vitam tribuant: sed nobis Varronis sententia magis aridet quæ refertur ab A Gellio lib. 3. c. 16. sic: Antiquos autem Romanos Varro dicit non recepisse huiusmodi quasi monstrosas raritates, sed nono mense aut decimo: neque præter hos alios partionem mulieris secundum naturam fieri existimasse: idcirco eos nomina Parcæ tribus fecisse à pariendo, & à nono atque decimo mense. Nam Parca, inquit, immutata littera vna à partu nominata. Item Nona, & Decima à partus tempestiui tempore. Hæc Gellius. Parcæ autem tres finguntur Iouis filia, quarum nomina & officia hoc versu explicantur, *Clotho colum retinet, Lachesis net, & Atropus occat.*

## EUMENIDES VII.

**Q**uas Latini Furias appellauere, Græci Erinnyes, & Eumenides dicunt: sunt autem, vt ait Orpheus, *Tisiphone, neqnon Alecto, & dia Megera.*

Quidam Eumenidas dictas putant ab εὐμενεία, i. beneuolentia: εὐμενίζω enim est placo: quia minimè sint beneuolæ, sed immites, & dira. Dathus interpretatur benefurètes, ab εὐ bene, & αἶψα furere: sed fallitur. nam eo modo per æ diphthongō scriberetur Eumænides. propius verò qui dixerunt dictas κατ' εὐσημισμὸν, i. vt bene ominaremur: in templis enim omnia mala verba



verba per cōtraria enuntiabātur, vt vita pro morte, & inactare pro cremare, & rectè pro non: sed ego longè aliter interpretor, & Eumenidas propriè pias & mites appellari contendo; quod ex Suida non erit difficile comprobare: eius verba sic Latinè vertebam: Eumenides, Erinnyes subterraneæ deæ, accepisse autem aiunt eas nomen ab Oreste, tunc enim primùm ab eo Eumenides, id est, mites & pias, quoniam eas expertus sit propitias, ferunt appellatas: quibus & ille maternæ cædis in Areopago absolutus, nigram ouem sacrificauit. & paullò post: Has & Æschylus in Eumenidibus à Minerua fuisse placatas in Orestis iudicio tradit, obtinuisseq. ab eis, ne in Orestem terribiles infurgerent, vnde eas Eumenidas. i. propitias vocauit. Hæc ex Suida.

## OTIVM VIII.

**O**Cium dictum volunt quòd non ocys sit, & velox, sed segne potius, tardumque: nam Græcis ocys velox est, ex quo ocymum dicitur leguminis genus à celeritate nascendi; & ocys aduerbium. Hæc destituere dum conatur Dathus, ineptè philosophatur nescio quid de vita cōtēplatiua & actiua, quòd scilicet in ocio celerius moueatur mēs, quàm in actione rerū. Itaq. asserit ocium à celeritate mentis nuncupatum: & præterea (si Musis placet) Ocyum per c. & y. scribi debere contendit. Sed quis vnquam sanæ mentis ocium & negotium per y scripsit? Pierius in Virgil. otium per t. omnino scribi debere contendit. Aldus in Orthographia sic, otium cum t. libri veteres, & Q. Papirius Grammaticus his verbis, in his syllabis sonus litteræ z. immixtus inueniri tantum potest, quæ constant t. & i. & eas sequitur vocalis qualibet, vt Tarius,

Otia,

Otia, iustitia, & similia, cuius ego sententiã sequor libentius, quàm eorum qui induciã, & ocium cum c. scribunt Donati autoritate adducti: eum enim scripsisse dicunt; induciã dictã, quòd inde ocium, quod non affirmo: potuit enim induriã quòd inde otium: quod sententiam meam confirmare videtur. Hæc Al-  
 dus. Sed quæris vnde dicatur Otium; an verò necesse erit omnium verborum origines & etymon patefacere? Cosconius nobilis Grammaticus (teste Varrone) ad mille verba in Latina lingua collegit, de quibus ratio reddi nõ posset. Hæc enim vocat primigenia; qualia sunt lege, scribo, sto, sedeo, sic fortasse otium, vnde negotium quasi necotium.

## CÆLVM IX.

**C**ælum à celando deducunt, quòd patens sit, nec coopertũ. sed nemo scribit cælũ sine diphthongo æ. vel œ. illo modo dicitur à cælando i. pingendo; hoc autem à Græco κάλω, i. cauo. Plin. lib. 2. cap. 2. Formam eius in speciem orbis absoluti globatam esse, nomen in primis & consensus in eo mortalium orbem appellantium: sed & argumenta rerum docent, ibidem cap. 4. Cælum quidẽ haud dubiẽ cælati argẽgo diximus, vt interpretatur M. Varro. Hæc Plinius. at M. Varronis verba licet corrupta diuersum sentire videntur: is igitur lib. 4. analogiã sic inquit: Cælũ dictum scribit Ælius quod est cælatum: aut à contrario nomine celatum, quòd apertum est; non malè quod posterius Ælius, multo potius celare à celo, quàm cælum à cælando. sed non minus illud alterũ de celando ab eo potuit dici quòd interdũ celatur, quàm quòd noctu nõ celatur omnino. Ego magis puto à chao cauum, & hinc cælum; quoniam vt dixi: *Hæc circum su-*  
*praq̃*

prag, quod complexu continet terram, cauum cœlum. Itaque dicit Andromacha: *Nocti, Quæ caua cœli significantibus cōficiis bigis.* & Agamemnon, *in altissimo cœli clypeo;* cauum enim clypeum. Ennius item ad cauationem, *Cœli ingentes fornices.* Quare vt à cauo cauea, & caulla, & conuallis, cauata vallis, & cauedium: vt cauum fit ortum: vnde omnia apud Hesiodum à caho; à cauo cœlum. Hæc Varro. cui astipulatur Lucretius, cum dixit, *Caulas ætheris.* Ego itaq. cœlum cum æ scribo cum doctissimis; & verba Plinij Varronem citantis corrupta puto, quæ sis legenda censeo. Cœlū quidem haud dubiè cauati argumēto diximus, vt interpretatur M. Varro.

Atque hactenus de nouem nominib. quæ August. Dathus suscepit confutanda. Nunc nos ad alia trauecamus, quæ à maximi nominis Grammaticis, & Rhetoricis per Antiphrasin dicta passim adducuntur.

## MORVS X.

Plinius lib. 16. cap. 21. Sicut Morus, inquit, quæ nouissima urbanarum germinat, nec, nisi exacto frigore: ob id dicta sapientissima arborū. Ex his Plinij verbis multiansam cepere, vt docerent, morū dici per antiphrasin, quia minimè sit stulta. *μαρὸς* enim stultum & dementem significat. Alciatus in Emblematis postquam dixit de Amygdalo, subdit:

*Segnior at Morus nunquam nisi frigore lapsò  
Germinat, & sapiens nomina falsa gerit.*

At verò nec Plinius id sentit, nec si sentiret, illi subscriberè. Res autem sic se habet. Multa nomina apud Græcos scribuntur per *αυ* diphthongon quæ Latini nūc per *au*, nunc per *o*. enunciarunt; vt, *ταῦρος*, taurus; *αὐλᾶ*, aula; *Καύγος*, Caucasus; *ἄυριον*, aurum. Orata inquit

quit Festus) genus piscis appellatur, à colore auri, quod rustici oram dicebant: ut auriculas oniculas. Itaque Sergium quoque quendam r. edivitem, quod & duobus annulis aureis, & granibus vteretur oratam dicunt esse appellatum. Hæc Festus. Quin & sæpe apud antiquos au. migrabat in o, ut cauda, coda; Caurus Corus; plaustrum plostrum; cautes cotes, caudex codex, plaado plodo, explodo, Plautus Plotus, cautio cotio, ut apud Plautum: Nihilo cotio est. Eodem igitur pacto ex *μαυρός* i. obscurus & niger, sit morus, cuius fructus niger est. Quid quod etiam apud Græcos in usu est *μορῆς* pro ipsa arbore mori? Sæpissimè Hispani ex u. Latino faciunt o, ut Taurus toro, aurum oro, laurus loro, pausas posas, Maurus Moro, moral, laus loor, laudare loar, Paulus Polo, cauda cola, causa cosa, paucum poco, audite oir, auditus oido, cautum coto, caules coles. Et Italicè Moro significat fuscum: ut apud Tassum in Amadigi canto. 57.

*Vn Gigante nel volto ar scuro & moro.*

## MILES XI.

**E**sti Pompeij hæc sunt verba: Militè Ælius à molitia *ἄγτ ἀντιπροσῆν* i. per antiphrasin dictum putat; eò quod nihil molle, sed potius asperum quid gerat; sic ludum dicimus, in quo minimè luditur. Hæc ille satis ineptè. Vlpianus lib. 29. l. 1. §. de Militari test. Miles (inquit) appellatur vel à malitia, i. duritia, quam pro nobis sustinet; aut à multitudine, aut à malo, quod arcere milites solent; aut à Græco verbo *χίλις*, vnde *χιλιασὺς* tractum est. Nā ita Græci *χίλις*, & mille hominum numerum appellant: quasi millesimū quæque dicas; vnde ipsum quoque ducem *χιλιαρχον* appellat. Hæc ille. Ex his autem opinionibus postrema verior

& aptior est, utpotè quæ Græcæ origini magis quadret. Itaque miles propriè dicebatur, qui vnus è mille, non sine dignitate nomenclaturæ vocabatur. Nos dicimus de **XIIII**. rectoribus Hispalensibus: *Es veinte y quatro de Sevilla*. Verba porro Vlpiani malè citat, & interpretatur Laurent. Valla lib. I. cap. 14.

## SIMULTAS XII.

**S**imultas, inquit Festus, dicta ex cōtrario, quia inimicè sint odiente se simul. Hæc ille. Sed quur nõ potius à simulando, quã qui latèter dissentiant, semper simulata loquantur, donec vindictæ sese offerat occasio? Sic potius Laur. Vallæ in Raudensem assentior. Simultas, inquit, est latens odium: ea simultas plæterunque intelligi contenta est, cum inimicitia opere se ostendat.

## VIOLA XIII.

**V**iolam dictam volunt quidam, quasi non violatam, vel non violandam. Ineptè tanè; cum violò verbum à viola deducatur. Nam violare virginem est deflorare, & violæ colorem inferre: vt latius in nostris Originibus ostèditur. Alij minus malè à violèdi, sed melius à Græco *ἰω* more deminutiuorum. Idq. ex eo melius potest persuaderi, quod *Ἄεoles* (vnde plurima Latini sibi deflexerant) scribebant *Ἰω* digamma *Ἄεολίκο*, pro viola: vt ait Terentianus. Et digamma *Ἄεολίκο* vertitur apud Latinos sæpe in u: vt *ὄϊς ὄφης*, Ouis. *ὄουον*, *ὄφον*, ouum. *ὄϊνον*, *Ἰόνον* vinum. sic *ἰω*, *Ἰω* viola.

## ÆGER XIIIII.

**Æ**Ger, inquit, ab ago, quòd nihil possit agere. Nihil vidi ridiculũ magis. Alij ab Græco *ἀίει*, quòd est doloris signum, & querelæ. Alij ab *ἀίειν*. i. lamētari,

tari. Sed non longè abierit ab ago, quòd agatur in firmitate vel tristitia. Et agere vitam ad id alludit. Virg. *Vitamq; extrema per omnia duco. sed placet ab òi òi.*

## DIS, PLUTO. XV.

**D**Is, inquit, quia minimè diues: quod ex Quintil. lib. 1. cap. 6. eliciunt: quò potius, vt diximus, Quintilianus huiusmodi etymologias irrideat, & insectetur. Cic. 2. Naturæ Deorum, à dicando videtur deducere. Cuius hæc sunt verba: Terrena autem vis omnis, atque natura Diti patri dicata est: qui Dis, vt apud Græcos *πλάτων*, quia & recidant omnia in terras, & orientur è terris. Hæc ille. quæ verba etiam ad diuitias possemus, quibus abundat Pluto, referre. Itaque sine antiphrasi Dis à diuitiis (est enim ditissimus) potest nominari. Imò huc respexisse Ouidium crediderim, cum inquit:

— *itum est in viscera terre,*  
*Quasq; reconsiderat, Stygiisq; admoerat vmbria,*  
*Effodiuntur opes, irritamenta malorum.*

## PONTVS. XVI.

**P**Vdet referre Ponti etymon, olet enim fecè Grammaticorum: dicunt enim; quasi sine ponte; quia mate pontè habere nò possit. Nihil magis ridiculū est, quàm quò Græcis vocibus etymò redditur Latinum, aut contrà: vt lapis, quia pedem lædat: quò Græcè sit *λάας*: petra, quia teratur pedibus, aut pedem terat, quò sit *πέτρα*, vel *πέτρα*. Itaq; *πόντος*, pontus Græcum est, & à *πόνω*, id est, labore dicitur: quia laboribus sca-teat, vt multis placet. Mihi verò à *ποντισω*, id est, mer-go, magis arriidet.

D

PELA-

**S**olét etiam & Græci Grammatici, quantuis doctiores, ineptire. Dicunt enim Pelagus πέλαγος, à πέλας, i. propè, & γῆς. i. terræ, quia lōgissimè absit à terra. Melius qui à τῆλε τῆς γῆς. i. procul à terra: quasi τήλαγος Telagos, Pelagus. Hac etymologia vtamur, dum melius aliquid occurrat.

## CHARON, XVIII.

**L**ilius Gregorius Gyraldus in Diis gentium sic ait: Charon Deus infernus dictus per antiphrasin, quasi Acheron: alias tamen Phornutus etymologias adducit, quas nō satis probo. Hæc ille Ego verò apud Phornutum nullam huius vocis inuenio etymologiam, nec apud alios quidem, vno excepto Natali de Comitibus. vt statim subiungam. Virgilius ad etymon χάριον videtur respexisse: χάριον enim leo est, ἀπο τῆς χαροπόπιτος, id est, ab splendore oculorum. Itaq. Æneid. 6. dixit: *Stant lumina flamma.* & Ouid. Metamorph. v. decimo: *rubra suffusus lumina flamma.* Seneca in Hercule Fur. act. 3. *concaua lucent genæ;* sic enim legendum, non squalent. *χαρόνια* dicuntur etiam à Græcis Chasmata & hiatus terræ immēsi: ex Diogene Laërtio & Ios. Scaligero in Ætnam, vnde non malè possēt deduci Charon. Sed placet Natalis de Comitibus in Mythologiis *χάριον* à *χαίρω*. i. gaudeo: quia transitus Lethæi fluminis ad sedes beatorum maximo cu gaudio fiat.

## HOLOSTEON, XIX.

**H**olosteon (inquit Plinius lib. 27. cap. 10) sine dūritia herba, ex aduerso appellata à Græcis, sicut  
 fel

fel dulce: tenuis vsq. in capillamenti speciem, longitudine quatuor digitorum, ceu gramen, foliis angustis, astringens gustu, nascitur in collibus terrenis, v-  
 fus eius ad conuallâ rupta in vino pota. Hæc Plinius. Quæ verba sunt Dioscoridis ex lib. 4. cap. 9. præterquam illa [ sine duritia, ex aduerso appellata à Græcis, sicut fel dulce ] qua in parte non assentior Plinio, si Plinij verba sunt. Nam si hæc herba (quæ, vt multi affirmant, nobis incognita est) similis gramini est, melius diceretur holotheon, quia tota sit ossca, quæ in per antiphrasin, quia sit mollissima. Imò verò doctor Laguna in Dioscoridè arbitratur esse nostram Pilloscellam, quæ idè sic vocatur, quod nimis sit horda, villosa, & veluti spinosa. Quid, quod in Græco Dioscoridis codice non ~~hæc~~ est, sed ~~hæc~~ inuenitur?

## ORTHOPNOEA, XX.

Cælius Aurelianus lib. 2. Chronion. cap. 1. quum ferè attingeret quid esset orthopnoea. i. spirandi difficultas, subdit: Item, vt alij dicunt, contrario vocabulo suæ virtutis nomè accepit: nam quum sui ratione conuertat, ac deprauet, tanquam corrigat orthopnoea nuncupatur: quam nos spirandi dicere correctionem poterimus. Multa enim contrariæ interpretationis vocabulum sumserunt: vt feila, quæ Græci γλυκίστα vocant, velut dulcia, quum sint amarissima. Hæc ille: quem Grammatici fefellerunt. Quanto verius & facilius diceretur: Orthopnoea idè dicitur, quia nisi recto collo & corpore spiritum non possis emittere.

Erunt & alia multa quæ Grammatici ( vt sunt ad errores ingeniosi ) comminiscuntur. Sed hæc satis fuerit confutasse: ex quibus facile intelligetur, nul-



lam posse esse vocem, quæ ex impositoris mente contrarium posset significare.

## DE VERBIS PASSIVIS DISCE- PTATIO PARADOXA.

**S**ÆPE quidem Grammatici, nunquam tamen ita Segregiè delirarunt, quàm in verborum passiuorum deliramentis tradendis. Aiunt enim rem, quam vocant agentem, in passiva in casu sexto cum A vel Ab, vel in dativo debere collocari. Nec desunt hebetiores, qui addant, etiam in casu quarto cum Per: vt, Res agitur per eosdem creditores. Totum falsum est.

Ac de dativo quidem faciliè deicientur: nam vno aut altero malè intellecto testimonio nituntur. Cicero dixit: Neque senatui, neque populo, neq. cuiquam bono probatur. Sed deberent illi aduertere sepe apud Ciceronem, & alios reperiri in actiua eundem datiuum. Cic. pro Balbo: Non vt vobis rem tam perspicuam dicendo probaremus. Itaq. hoc non probatur mihi: est, tu hoc mihi nõ probas. Cic. Att. lib. 4. quos libros, vt spero, tibi valde probabo. Addunt ex Virgilio: Nec cernitur vlli. i. ab vlllo. Nec Seruium consulunt, quæ id Gracè dictum ostendit. Mihi tamen hæc, & vbiq. datiuus acquisitionem significat: & quemadmodum datiuus à nullo verbo regitur, ita cuius orationi aptissimè iungetur. Nec enim aliter significat, quàm dico: Da pecunias mihi: quàm quæ dico: Filius mihi peccat; aut, Non omnibus dormio. Itaque. Non cernitur vlli, est. Veus nulli ostendebatur, nulli erat conspicua. Vnde aptissimè Apuleius de Deo Socrats, Homeri versiculum vertit:

*Soli perspicua, est aliorum nemo tuetur.*

Addunt etiam ex Martiale lib. 2. *Si cui forte legeris: & si totus tibi triuolus legatur.* Sed hi videtur ignorare Romanorum morem, qui legentes anagnostas audiebant. Imò & ab ipso Martiale disce datiuum in passiuua esse acquisitionis. lib. 10. *at non & stamina differt Atropos, at que omnis scribitur hora tibi.* Plaut. *Mibi istic nec feritur, nec metitur.* At, inquam, in passiuuis participiis patet datiuus rei agentis: vt Dicte mihi, dicende nobis. Respondeo, Datiuos illos, non propter participia, sed propter verbum substatiuum esse positos: vt si dicas: Sunt mihi amici: ubi etiam, si rectè perspicias, acquisitio significatur, non actio, vel passio: vt. *Causa docenda mihi est, id est, mihi, non alius expedit causam docere.*

Qui asserunt rem agentem in accusatiuo collocari cum Per, magis falluntur. Nam quum Cicero dixit: *Res agitur per eosdem creditores: nō significauit creditores agere rem, sed regis amicos agere rem per creditores.* istorum error satis refellitur ex innumeris testimoniis, vbi in voce actiua Per adhibetur. *Caesar 3. ciuil. Pompeius frumentum omne per equites comportauerat. Cic. Mirificè mihi & per se, & per Pompeium blanditur Appius. Idem: Nihil inter est, vtrum per procuratorem agas, an per te ipsum.*

Si prepositio Per non significat rem agentem (vt facillè demonstrari potest) nec A, vel Ab significabit. Nam Cicero interrogatus per Per, respondit per A. Locus est in prima & secunda epistola lib. 5. ad famil. vbi Metellus inquit: *Non putaram Metellū fratrem ob dictum capite ac fortunis PER TE oppugnatum iri.* Cui respondet Cicero: *Quod scribis non oportuisse*

Metellum fratrem tuum obditum *a me* oppugnari. Ibid. ad Luceium: Quum hoc demonstrat me *A te* potissimum ornari, celebrarique velle: subdit paulo post: Neque autem ego sum ita demens, vt me semper *per te* gloriae *per eum* commendari velim, &c. vide infra.

Si per A, vel Ab, res agens significaretur, semper apponeretur, vel saltem suppleretur ablatiuus cū praepositione: sed in multis suppleri non potest; non est igitur res agens ablatiuus. Cic. pro lege Manii. In quo agitur populi Ro. gloria, agitur salus sociorum, aguntur cerissima populi Ro. vectigalia. Idem Aeschines in Demosthenem inuenitur. Virg. *Tum vero in curas animum deductus omnes*. Huc adde illa: Linqnor animo: consternor mentem: videris esse doctus: afficior pudore: & innumera eiusmodi. Regula igitur artis nostrae Grammaticae vera est: *Passiuum verbum nihil prater suppositum desiderat*.

A, vel ab (vt in vniuersum dicam) siue in actiua, siue in passiuua significat à parte: vt vetus flat ab Oriente. Et cū Cornelius Tacitus dixit, Trepidabatur à Caesare: non significat Caesarem trepidare, sed à parte Caesaris, hoc est Caesarianos. Et Cic. 2. Offic. de Alexandri Pharaei morte, quum inquit: Ab ea est enim ipse propter pellicatus suspicionem interfectus: non significat ipsam Theben manu sua interfecisse regem, quem Thebiphonus, Pitholais, & Lycophron ipsius Thebes fratres trucidarunt. Sic Plutarchus in Pelopida: & Diodorus Siculus lib. 16. Ann. 4. Pomponius Mela lib. 1. cap. 21. urbem Dioscuriada à Castore & Polluce conditam dicit: quam re vera Amphitus & Telchius antege Castoris & Pollucis cōdiderūt. vide

Solinū. Terēt. Phor Nō potest satis pro merito *ab illa* tibi referri gratia. Hāc phrasin sic retulit Cæsar, 1. Ciuil. Pauca apud eos locutus, quēd sibi *à parte* eorum gratia relata nō sit pro suis in eos maximis beneficiis.

Hic me locus admonuit, vt varia subiungam testimonia, in quibus eadem res nunc per A, vel Ab; nunc aliter enuntietur. Litius lib. 6. Dec. 3. de Iubelio: Me quoque iube occidi, vt gloriari possis. multo fortiorē, quā ipse es, virum *abs te* occisum esse. Val. Maxim. lib. 3. cap. 2. de eodē Iubelio: Quid cessas in me cruentam secutum distingere, vt gloriari possis aliquando; viram fortiorē, quā ipse es, *tuo iussu* intetentum? Idem Val. Max. lib. 5. cap. 3. de Carbone: Sed nobis tamen tacentibus Gn. Carbonis, *iussu tuo* interentimots animis hominum obuersabitur. Idem rursus de eodem. lib. 6. ca. 2. Vidi Gn. Carbonem, cū in summo esset imperio, *à te* equite Ro. trucidatum. Huc adde illa nullo antē relata, de Metello, & Luceio.

Sed iam ad asylū sacrarum litterarum confugiam, vt pernicaces Grammaticos conuincam. D. Paulus 6. ad Romanos: *ὁ πρὸ ἀποθανῶν δεξιζῶντος ἀπὸ ἀμαρτίας. i.* Qui enim mortuus est iustificatus est à peccato. Verite in actiuam more Grammatico, & in hæresin incurres. sic Peccatum iustificauit Christum, qui mortuus est. Quid absurdius? A peccato iustificatus est Christus, hoc est, à parte peccati, quia non pertinebat ad eum peccatum. Ita dixit Pilatus: Innocens ego sum à sanguine iasti huius. Obscurius illud Matth. cap. 11. & Luca 7. Iustificata est sapiētia à filiis suis. i. doctrina non pertinet ad hanc generationem.

A, vel Ab, idem esse quod *à parte* multis possem testimoniis ostendere: sed accipe pauca; ac primū in

*Sux.*

verbo substantiuo. Plaut. Curc. Tam à me pudica est, quasi soror mea sit. Terent. Hecy. Narrat, vt virgo à se integra etiam tum fiet. Idem, Ab Andria est ancilla hæc. Idem Heaut. Tantum ne est ab re tua otij tibi? Cic. pro Muren. Nostri inquam illi à Platone, & Aristotele moderati homines. i. Platonici, & Aristotelei. Idem 3. Orat. A cæteris silentium fuit. Idem pro Mil. Beatos esse quibus ea res honori fuerit à ciuibus suis. Idem pro Rabir. Quorum impunitas fuit, non modò à iudicio, sed etiam à sermone. Idem 1. Orat. Vide ne hoc totum Scænola sit à me. Ciceroniana sunt: Locus à frumento copiosus: à magistratibus nuda res publi-

*Desum.**Doffum.**Sto.**Concrepo.**Crepo.**Cado, Occido, pereco, intereo.**Stre.**Concilio.*

ca: ab amicis inops; à propinquis nudus; à suis munus: orba ab optimatibus concio. Cic. 3. Orat. Nihil isti adolefcenù, neque à natura, neque à doctrina deesse sentio. Terentius Heaut. Sed hic actor tantum poterit à facundia, quantum, &c. Cicero à voluntate scriptoris stare: aut à se potius, quàm ab aduersariis stare: à senatu stare. Terentius And. Concrepuit à Glycerio ostium. Idem: Sed quid ab illo crepuerunt fores? Ouidius 5. Metamorph. Magna ferēs tacitus solatia mortis ad umbras, A tanto cecidisse viro. Idem 13. Metamorph. Occidit à magno (sic Di voluistis) Achille. Idem 5. de Ponto: Discipulo perij solus ab ipse meo. Cicero 2. Offic. Phalaris non à paucis interit, vt hic noster. Idem, à valentiore interire. Plin. lib. 11. Quum perijt ab Annibale. Lilius lib. 1. Vtrinq. pugnam ciebant, ab Sabinis Metius Curtius, ab Romanis Hostius Hostilius. Cicero: Tantum amorem sibi conciliarat à nobis omnibus. Plaut. Mostell. Qui à patre eius conciliarem pacem. Terent. Eun. Nequis fortè interuncius clam à milite ad eam cursitet.

sitet. Cic. Att. Mare nūc, quia à sole collucet, albescit. *Collucet.*  
 Horat. Multaque merces defluat tibi a quo ab Ioue. *Defluo.*  
 Virg. Qui nūc Misenus ab illo dicitur, i. propter Mi-  
 senum: sic dux dicitur à ductu, & rex à regendo. Plin. *Ducor.*  
 Ab amicitia eius Gracchanus appellatus Plau. Cistell.  
 Doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab ægritudi- *Doleo.*  
 ne. Plin. lib. 24. cap. 8. Si caput à Sole dolet. Cic. Et à  
 me insidias metuūt. Ouid. Nubibus assiduus pluuioq. *Metuo.*  
 madescit ab Austro. Cic. 1. Acad. Nunciatum est no- *Madescit.*  
 bis à M. Varrone, venisse eū ab Roma. Val. Max. lib. *Nuncio.*  
 4. c. 3. Interim velim ne mihi à Sole obstes. Cic. 2. Nat. *Obsto.*  
 Et, si est calor, à Sole sese opponant. Ouid. 1. Metam. *Oppono.*  
 Postquam vetus humor ab igne percaluit Solis. Lu- *Percalco.*  
 cret. lib. 6. & in lucem tremulo rarefcit ab æstu. Cic. *Raresco.*  
 Att. Quam Romæ à iudicibus forum refrixerit. Cic. *Refringo.*  
 Salubris à meo Cicerone. Quintil. lib. 3. An timendū *Saluo.*  
 à rege bellum. Ouid. 2. Fastor. Sed tamen à vento, qui *Timeo.*  
 fuit, vnda tumet. Cæsar lib. 3. ciuil. Hac à custodibus *Turneo.*  
 clauis in loca maximè vacabant. Plaut. Epid. A mor- *Vaco.*  
 bo valui, ab animo ager fui. *Valuo.*

Sed quid in his moramur, si sola hac ratione hoc e-  
 uincere possemus? Si præpositio A, vel Ab cum eo-  
 dem verbo, & eodem sensu in actiua & passiuâ re-  
 peritur: insi- sentis præceptoris erit, vtroque rem-  
 agentem explicans. Verbi gratia: Dabuntur à me pe-  
 cunie: non est, Ego dabo pecunias, sed dabo à me  
 pecunias: quod Hispanè dicitur: *De mi parte, o a mi*  
*chenta.* Adferamus igitur exempla, vbi A, vel Ab  
 eodem sensu in actiua & passiuâ in vno eodemque  
 verbo reperitur.

Cic. Senect. Eq. dona à sociis adtulisset. Idem 3. *Adfero.*  
 Leg. Cui ne reditus quidem ad bonos salutem à bo-  
 nis

nis potuit afferre. Idem Att. Et plus à vobis prædij, quam à cæteris opis ad salutem potest afferri. Idem: Nuncij à Parthis adferuntur.

*Aufero.* Cic. pro domo sua: Clodius pecunias cõsulates abstulit à senatu. Idem Att. Totam Academiam à nominibus nobilissimis abstuli. ¶ Plaut. Pseud. Auferetur id primum à me, quod pronisi per iocum?

*Accipio.* Terent. Adel. Abs quivis homine, quam est opus, beneficiũ accipere gaudeas! ¶ Cic. Acad. Quæ à quovis accipi oporteret, & quæ repudiari.

*Amo.* Plaut. Pseud. ubi sunt illi, qui amant à lenone? ¶ Cic. vt scires, cum non à me diligi solum, verum etiam amari.

*Avertio.* Avertit oculos ab illo. ¶ Avindicibus oratio avertitur.

*Auxilio.* Sperat se à me auxiliare. ¶ Non ab ea rep. anellar.

*Audio.* Cic. de Senect. Sæpe à maioribus natu audui. Idẽ 3. Fin. Etsi dicit hominis ingenij, velle bene audite à parentibus. ¶ Nostros senes commemorare audui ab aliis sensibus auditum.

*Do.* Cic. Attic. lib. 14. A me hoc illi dabis. Idẽ pro Flac. Ab Attilio Sernilio dicit se dedisse, & à suis fratribus. Idem Att. Se à me quodammodo dare. Plaut. Capt. Viaticum vt dem ab trapezita tibi. Idem Manech. Da sodes à te, post reddidero tibi. ¶ Terent. Adelph. Dabitur à me argentum. Cic. J. Verr. Tempus quod mihi ab amicorum negotiis datur. Idem Att. Datur mihi epistola à foronis tuae filio. Idem 1. Leg. Nullam tibi à causis vacationem video dari. Idem lib. 7. Epist. Ad Casarem litteræ mihi dantur à te.

*Defendo.* Virg. Dum teneras defendo à frigore myrtos. Plin. Vestes à tuncis defendit hæc herba. ¶ Cæsar 2. Civil. Musculus defenditur à nostris. Cic. 2. Agrar. Ab hostibus

hostibus defendi paludib. vide Munio & Prohibeo.

Deicere oculos à rep. ¶ Deiectus ex aliquo, & ab *periculo* aliquo loco.

Desidero abs te aliquid. ¶ Desideratur à magno *Desidero* philosopho grauitas.

Plaut. Rudent. Qui pradam ab eo emerat. Vale- *Emo & redimo*  
rius Maxim. lib. 4. cap. 2. A piscatoribus in Milesia re-

gione verriculum trahentibus quidam iactum eme-  
rat. Cic. Offic. Aut captos à prædonibus redimunt.

¶ Cic. 1. Verr. Emum est ex senatusconsulto frumen-  
tum ab Siculis prætoris Verre. Idem Senect. Ex his  
princeps emitur ab inimicis meis. Plaut. Epid. A le-  
none quædam ut medicina, quam amabat, emeretur si-  
bi. Suet. August. Carum & Lucium adoptauit, domi  
per assem, & libram emtos à patre Agrippa. Lilius  
dec. 4. lib. 4. Ut captiui ab Annibale redimantur. Iu-  
uen. Satyr. 4. *Monstrum nulla virtute redemptum à  
vitis.* Ouid. in Epist. *Satis tibi ab Atreida precio redimen-  
da fuisset.* Vide Peto, & postulo.

Eripere à periculo. ¶ Vercor ne eripiatur à nobis *Eripio*  
regia causa.

Exigere aliquid ab aliquo. ¶ Quintil. lib. 1. A Græ- *Exigo*  
maticis exigitur poetarum enarratio. Caesar 1. Ciuil.  
Pecunie à municipiis exiguntur.

Extorquere aliquid ab aliquo vitium est. ¶ Cic. Pe- *Extor-  
guo.*  
cunia omnis ab eo extorta atque erepta est.

Cic. de vniuers. Mundus per se, & à se & patitur & *Facio*  
facit omnia. Idem 1. Inuent. Commune est, quod ni-  
hilo magis ab aduersariis, quàm à nobis facit. Idem  
de Orat. A se aliquid facere. ¶ Tritum est, hoc factum  
est à vobis.

Terent. Phorm. Otium à senibus ad potandum vt *Habeo*  
habeam.



habeam. Cicero Bruto: Nullas adhuc à te litteras habebamus. Idem pro Sext. Habere beneficium ab aliquo. Idem 1. Offic. Scenicorum quidem mos tantam habet à veterè disciplina verecundiam. &c. Idem 12. Famil. Habeaseos à me commendatos. Idem, habere præsidium, vel spem ab aliquo. ¶ Idem in Vatin. Quare ne tibi hunc honorem à me haberi fortè mirere. Idem pro Cælio, Eam dignitatem in M. Cælio habitam esse summam, hodieque haberi ab omnibus.

*Impetro.*

Ciuitatem ab aliquo impetrare, tritum est. ¶ Cic. Amicit. Quid postules ab amico, & quid patiare à te impetrari. Plau. Mostel. Aliud quiduis impetrari à me facilius perferam. Val. Max. lib. 4. cap. 3. A seruis vix impetrari potest, ne eam supellectilem fastidiant, qua vti Consul non erubuit. Cæsar 1. Ciuil. Agrè ab iis impetratum est, vt in senatu recitarentur.

*Lego, as.*

Cic. pro Cluent. Iraque ei testamento legat pecuniam grandem à filio. Idem in Topic. Vxon ancillarum vsu fructum legauit à filio. ¶ In passua tritum est apud Iurisperitos: Domus legata est à Titio. Vide Brissonium & Hotom. in A, vel Ab. & pensita phrasin.

*Lego, is.*

Cic. Att. 16. A Bruto legi Antonij edictum. Sic dicimus, Legi à te litteras. ¶ Ouid. 3. Pont. A posteritate legi. Cic. Liber tuus legitur à me diligèter, i. per meos. vt, Trepidabatur à Cæsare. Et captus oculis etiam diceret: Terentius legitur à me diligenter.

*Libero.*

Cic. Liberavi hunc à Cæsare, tritum est. ¶ Idem; liberari se ab aliquo. Idem: A scelere certè liberati sumus. Idem: Te à quartana liberatum gaudeo. Vide Separo.

Cic.

Cic. 13. Att. Ab illo mihi mittas. ¶ Idem, & à me *Mitto.*  
missi sunt.

Mouebo hunc à sacra linea: remoue te ab illo. *Moues,*  
¶ Remouentur à vitis. *Rem.*

Tacitus lib. 10. Sæuus ille vultus, & ruber à quo se *Munio.*  
contra pallorem muniebat. Columel. Quantumque  
res patietur, à frigore & tépestate muniemus. Idem,  
Hortum ab incurfu hominum pecudumq. munire.  
Horat. Inclusam Danaen munitant satis nocturnis  
ab adulteris. ¶ Lucret. lib. 7. Quèd letalibus ab rebus  
munita tenetur. Cæsar 2. Ciuil. Tecta, atque munita  
ab omni ictu telorum. Tacitus, munitus ab insidiis: vt  
Horat. Tutus ab infestis latronibus. & Ouid. Tutus  
ab insidiis. vide Defendo.

Cic. pro Flac. Si prætori dedit, à quæstore numera- *Numer.*  
uit. Idem 2. Phil. à se numerare. Martial. Omnis ab  
infuso numeretur amica Falerno. vide Soluo.

Linus lib. 2. Tarquiniensis ab sua parte Romanum *Pello.*  
pepulit. Terent. Quis nam à me pepulit tam grauitè  
fores? Idem, Et istum æmulum ab ea pellito. Cæsar  
1. Gall. Quum hostium acies à sinistro cornu pulsa.  
Li. Cætera à fronte pulsa.

Peto à te, tritum est. ¶ Cic. 6. Epist. Nec tamen ipse, *Peto.*  
à quo salus petitur, habet explicatam rationem salutis  
sua. Idem 1. Diuinat. Vt ab eius solo in quo est huma-  
tus oracula peterentur. Martial. A capone tibi fax  
Læletana petatur. Vide Emo, & Reposeo.

Postulare ab aliquo, tritum est. ¶ Cic. 1. Leg. Veri- *Postul.*  
tas à te postulat. Idem 2. Tuscu. Quod ergo & po-  
stulatur à fortibus, & laudatur, quum fit. Sic. Idem,  
Postulatur à te iam diu, vel flagitatur potius historia.  
Cic. Philip. Sed quoniam ab hoc ordine non fertur  
do

do solùm, sed etiam sapiëntia postulatur, &c. vide Emo.

*Prohibeo.*

Dicimus prohibeo vim ab amico, & amicum à vi. ¶ Cic. 3. Offic. Nam & à rep. forensibusque negotiis armis impiis, viq. prohibiti.

*Proiicio.*

Proiicere, & reiciere à se mala, tritum est. ¶ Cic. A liberis suis abstrahi, & à coniuge abripi, & ab aris, focusque innocentem proiici, nota hæc infinita verba.

*Promo,*

*Depromo*

Cic. 2. Orat. Ne ipse aliquid à me promississe videar. ¶ Idem: Iuris utilitas vel à peritis, vel de libris depromi potest. 1. Orat.

*Reddo.*

Cic. Litteras à te mihi Stator tuus reddidit. ¶ Idem, Litteræ mihi redditæ sunt à te. Idem: Litteræ mihi redditæ sunt in senatu ab Lentulo.

*Rapio.*

Rapere ab aliquo, tritum. ¶ Horat. 3. Carm. aut a quosa raptus ab Ida.

*Reposco.*

Cic. 1. Verr. Nihil est, quod minus ferendum sit, quàm rationem ab altero vita reposcere eum, qui nõ possit suæ reddere. ¶ Val. Maxim. lib. 3. cap. 6. Quum à Scipione ratio in curia posceretur, i. quum Tribuni ab eo peterent rationem. Vide Pere, & Posulo.

*Separo.*

Cic. Luceio: Qui omnes à perpetuis suis historicis ea, quæ dixi, bella separauerunt. ¶ Idem 4. Acad. Quoniam vera à falsis nullo discrimine separantur. Quid. 1. Amor. A domina separari. vide Libero.

*Soluo,*

*pers.*

Cic. 5. Att. Sed etiam hoc dicit; se à me soluere. Ibidem lib. 7. Ab Egnatio soluat, quod tibi debet. Idem pro Planc. ab aliquo persoluere. Idem. Id à vobis persoluerem esuite. ¶ Plaut. Res solactur ab trapezita meo. Cic. Solutus à cupiditatibus. Quid. Ab amplexu alicuius solui. vide Numero.

*Sumo.*

Terent. Adolph. Postremò à me argentum, quantum est, sumo. ¶ Cic. pro Lege Man. Ab eodẽ Pompeio

peio omnium rerum egregiarum exempla fumantur.  
 Ouidius 2. Amor. Factus fumuntur ab imagine speculi.

¶ Caesar 3. Ciuil. qui portus ab Africo tegebatur, ab Austro non erat tutus.

Verbum igitur passiuum solo supposito contentum est. Cic. lib. 15. Epist. citat versiculum Næuij, Lætus sum laudari me, abs te pater laudato viro. Sed attende quomodo distingat idem Cicero lib. 5. ad Luceiū: Placet enim Hector ille mihi Næuianus, qui non tantum laudari se lætatur: sed addit etiam, à laudato viro. Item pro Milone. Factumne sit? at constat: à quo? at patet. Vides particulas (à quo) separari à verbo passiuo. Denique eodem proflus manente sensu actiua oratio in passiuam verti non potest. Vnde falluntur Alciatus lib. 2. Parerg. cap. 29. & Ræuard. lib. 2. cap. 5. Varior. qui putant valere stipulationem etiam in passiuua voce: vt dabis? dabitur. Id ostendit ex loco Plauti in Pseud. scen. Viso quid rerum. Vbi Simo dicit: viginti minas dabin? Respondet Ballio: Dabuntur. Sed in sequenti scena sic se excusat Ballio: Auferetur id premium à me, quod promisi per iocū? Quasi dicat: Ego nec verè promisi, nec verè, aut ex formula fui stipulatus, sed iocose, & quasi coactus. Cui Simo respondet: De improbis vitis auferri premium & prædam decet. Que dixi de verbis passiuis Latinis eadem de Grecis dictū esse velim. In omni enim idiomate passiuum solo supposito contentum est. Et quamuis vernacula lingua careant omnino passiuua voce, dicimus tamen, *corresse, andasse, acabose la guerra, mejor se viue en el campo que en la ciudad.* vbi solo supposito, etiam sub intellectu perficitur oratio.

## VNVM VNI CONTRARIVM

EST. PARADOXVM.

PLato in Alcibiade secundo; & præcipuè in Protagora sic ait: Οὐκᾶν (ἦν δὲ ἐγὼ) ἐνὶ ἐκάστῳ τῶν ἐναντίων ἐν μόνον ἐστὶν ἐναντίον, ἕ, ἔπειτα. i. Nonne, dicebam ego, unicuique contrariorum vnum solum est contrarium, nõ multa? Hanc Platonis sententiam, contra cæteros & Græcos & Latinos Philosophos, verissimã puto. Non enim probari potest viris doctis esse virtutes in medio vitiorum sitas. Quare illud Horatij: *Virtus est medium vitiorum, & utrinque reductum.* & illud eiusdem: *Est modus in rebus, sunt certædeniq. fines, Quos ultra curaq; nequit consistere rectum.* tum illa: *ὀνδὲρ ἄχαρ, nihil nimis: πάντων μέτρον ἄριστον,* Omnium modus optimus: præcepta popularia sunt, & ad vulgi captum accommodata. Medium enim vulgò queritur inter amare, & odisse: inter effusionem & avaritiam: vnde illud tritum: *In medio consistit virtus.* At verò exactius rimanti, præsiusq. hæc consideranti quomodo satisfaciet Aristoteles, quum unicuique morali virtuti duo vitia hinc inde constituerit? Nam primum omnium ipsemet Aristoteles fatetur virtutem non æqua portione in medio vitiorum collocari, neque ab utroque vitio æqualiter dissidere. Liberitas etenim inter effusionem & avaritiam ita collocatur, vt effusioni propinquior longè ab avaritia separetur. Eodem modo fortitudo audaciæ proxima longè dissidet à timiditate, hincq. ordo cæteris in virtutibus seruatür. Itaque quomodo ab hac quæstione te expedies? Si timiditas audaciæ contraria est, quomodo audaciæ fortitudini aduersabitur, & fortitudo timiditati: quam præsertim

præsertim vitia hæc duo simili posita à virtute nõ separentur, sed timiditas longissimè abût à fortitudine, & fortitudini coniungatur audacia: Deinde Aristoteles ipse sic definit contraria. Contraria sunt quæ sub eodem genere maximè distant. Nunquam igitur sub eodem genere tria contraria sed duo tantè inveniuntur. Quid quodd fortitudo & audacia in subeundis periculis versantur, at verò timiditas in fugiendis? non possunt igitur hæc inter se conuenire. Ego meam sententiam sic astruo. Quum duobus viciis data sint contradictiones, cuiusq; antem contradictionis duæ sint partes, vna turpis, altera honesta: duobus vtiq; viciis duas virtutes repugnare oportebit.

Sunt præterea (vt ferè omnes testantur) proxima virtutibus vitia: & ita hæc illas mentiuntur, vt stannũ, argentum; aurichalcum, aurum. Quĩ fieri potest igitur vt fortitudo aduersetur ignauiæ cum qua nihil habet similitudinis: *Fallit enim vitium specie virtutis & vmbra*, vt præclare scripsit Iuuenalis. Cicero in Partitionibus vni virtuti vnum tantum opponit vitium. Cernenda sunt, inquit, diligèter ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem videntur imitari: nam & prudentiam malitia; & temperantiã immanitas in voluptatibus aspernandis; & magnitudinem animi superbia in animis extollendis; & integritatem despicientia in contènedis honoribus; & liberalitatem effusio; & fortitudinem audacia imitatur, & paciẽtiã duritia immanis; & iustitiam acerbitas; & religionem superstitio; & lenitatem mollitia animi; & verecundiam timiditas: & illam disputandi prudentiam concertatio, captatioque verborum: & hanc oratoriam vim inanis quædã pro-

fluentia loquendi. Horatius item in arte Poëtica vñũ  
vñi in scribendo vitium oppohit:

*Maxima pars vatum (pater, & iuuenes patre digni)  
Decipimur specie recti: breuis esse laboro,  
Obscurus fio: sectantem leuia nervi  
Deficiunt, animiq;: professus grandia turget;  
Serpit humi tutus nimium timidusq; procella:  
Qui variare cupit rem prodigialiter vnã,  
Delphinum siluis appingit, fluctibus aprum.  
In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.*

Idem lib. 2. Epist. 2.

*Scire volam quantum simplex, hilariq; nepoti  
Discrepet: & quantum discordet parcus auaro.*  
Sed libet apponere tabellam Aristotelicam in tribus  
lineis: deinde nostram in quatuor lineis subiungam,  
in qua vnicuique virtuti vnicum duntaxat vitium  
respondebit.

EXUPERAN- MEDIOCRI- DEFECTIO.  
TIA. TAS.

In metu & confi- dencia.	Audax.	Fortitudo.	Ignauia.
In voluptaribus & doloribus.	Intemperantia.	Temperantia.	Sensus expers.
In dandis accipien- disq. pecuniis.	{ Effusio.	Liberalitas.	Auaritia.
	{ Nimi <sup>9</sup> splendor	Magnificentia.	Sordes.
In honore & infami- a.	{ Elatio animi.	Magnitudo ani-	Pu <sup>9</sup> illus animus
	{ Ambitiosus.	Modestia. (mi.	Vacu <sup>9</sup> ab hono-
In ira.	Iracundia.	Lenitas.	Lentitudo. (re.
In veritate.	Arrogantia.	Veritas.	Diffimulatio.
In iocunditate ioci.	Scurrilitas.	Comitas.	Rufficitas.
In iocunditate feria.	Affentator.	Amicus.	Morus.
	{ Pavidus.	Verecundus.	Impudens.
In perturbationib.	{ Inuidia.	Indignatio.	Maleuolentia.
	Plus.	Iustitia.	Minus.



*In periculis subeundis.*

Μηνόμενος, furiosus, qui timore- Ανδρεία, fortitudo.  
 nis vacuitate superat.

Θρασύς, audax, qui fidēdo superat.  
 Cic. cui facinorosis audacter.

*In voluptatibus corporeis sectandis.*

Απολασία, intemperantia. Cic. Σωφροσύνη, temperantia, moderatio, modestia.  
 cū hoidinosis luxuriose.

*In erogandis pecuniis.*

Ασωτία, ἀνελευθερία, effusio, Ελευθεριότης, liberalitas, largitas, elegantia.  
 profusio, luxuria.

*Idem in rebus magnis.*

Απειροκαλία, Ραγασία, nimius Μεγαλοπρέπεια, magnificentia,  
 splendor, insolentia operaria. Suinituosis.

*In sectandis honoribus.*

Χαυρότης, elatio animi, Μεγαλοψυχία, magnitudo animi.  
 laxitas animi.

*Idem in rebus parvis.*

Φιλότης, superbus, Modestia, caret nomine.  
 ambitiosus.

*In ira, vel punitione.*

Οργιλότης, iracundia. Senectus, caret nomine.

*In veritate promenda.*

Αλαζονεία, arrogantia, Αλήθεια, veritas, verax.  
 iactantia.

*In incunditate circa iocum admittenda.*

Βωμολοχία, scurrilitas. Ευπραγελία, facetus, vrbantitas.

*In iacundis seriis admittendis.*

Αρεσκός, si non vtilitate ducitur, Φιλότης, affabilis, facetus, amicus  
 blandus, placendi studiosus. Horatio.

Κόλαξ, scurra si emolumentum causa.

*In tractandis negotiis.*

Αναίσχυτος, impudens. Πείσιμη, sollicitus, agilis.

*In alterius gloria.*

Φθισότης, invidentia. Ξιμή, amulatio.

*In periculis fugiendis.*

Cautus, εὐλαβής Cic. 4. Tuf. Δειδός, timidus, metuēs, pa-  
 A malis natura declinamus, uidus.  
 que declinatio si cū ratione  
 fiet, cautio appellatur: quæ autem sine ratione, metus.

*In voluptatibus corporeis aspernandis.*

Ασχη, ἐγκράτεια, ἀγνός. Ab- Ανασθητοί, sensus expertes,  
 stinētia, continētia, castitas. Inmanitas Cic.

*In retinendis pecuniis.*

Φειδωλός, Parcus, frugi. Ιουε. Αρελευθεσία, tenacitas, aua-  
 Frugi laudatur avarus. ritia, iliberalitas.

*Idem in rebus magnis.*

Καθαροί, σιμωλοί, mundi, Μικροπτοπεία, sordes inde-  
 splendidi, elegantes. cora, parsimonia sumtus.

Horat. l. 2. Satv. 2. Mūdus erit, qui rō offendet sordibus.

*In contemnendis honoribus.*

Οὐβλαβή, integritas, Μικροδουχία, paruus animus,  
 sanctitas. pusillus.

*Idem in rebus paruis.*

Ταπειότης, humilitas. Αεωλιμία, despectus, cō-  
 temtor honoris.

*In non puniendo.*

Πρόβτης, lenitas, clementia, Αργυσία, lentitudo,  
 mansuetudo. animi mollities.

*In veritate celanda.*

Εἰρωτία, dissimulatio. Socra- Εαυνοπαροδοί, Veteratores  
 tes dictus est ἔρων. gloriosi.

*In iucunditate iocosa repudianda.*

Σεμνός, seuerus, tristis. Αγροία, rusticitas, agrestis.

*In iucundis feris repudiandis.*

Βαρύς, grauis, Cic. cū tristib. Δυσκολή, δυσχερής, Asperi-  
 seuerē, cū senib. grauiter. tas, agrestis. Horat.

*In detrectandis negotiis.*

Αἰδύμων, pudens, verecund. Καταπλήξ, pauid. timid. re-

*In alterius malis.*

Νέμεσις, Indignatio. Επιχειρακία, maleuolētia.

ARTIFICIOSÆ MEMO-  
RIÆ ARS A FRANCISCO  
SANCTIO BROCENSI RHETORICES  
Græcæque linguæ primario Doctore collecta.

**M**EMORIA, est firma animi rerum & ver-  
borum dispositionis perceptio. Ea duplex  
est: vna Naturalis; Artificiosa altera. Natu-  
ralis est ea, quæ nosuris animis insita est, &  
simul cum cogitatione nata. Artificiosa est ea, quam  
confirmat inductio quædã, & ratio præceptionis. Sed  
vt cæteris in rebus ars natura commodã confirmat, &  
auget: sic naturalis memoria, quauis ea sit egregia,  
præceptis & arte nitescit. Cõstat igitur artificiosa me-  
moria Locis, & Imaginibus. Loci sunt pro charta: Ima-  
gines pro literis: Dispositio imaginũ simialis est scri-  
pturæ: Pronuntiatio lectioni.

Loci sunt igitur, quos vice chartarum paramus, qui  
aut natura, aut manu sunt absoluti: vt ædes, intercolu-  
mnum, anguli, fornices, ianuç, fenestræ, hiatus parie-  
tum, & similia.

Loci debent esse notissimi nobis, & diligenti cura  
ter, aut quater in mente repetendi.

Sunt autem eligendi maximè diuersi forma, vel na-  
tura: Obest nanque memoriæ locorum similitudo,  
quales sunt cellula monachorum.

Si tibi locus non suppetat, vbi locos, aut naturales,  
aut artificiosos possis constituere: si vales ingenio, in-  
genio ipso tibi elegantissimam domum imaginabere,  
vbi perpetuos & stabiles locos possis adaptare: vt qui  
ab inferno per elementa & planetas ad cœlum effor-  
mabat.

Vicinitas

Vicinitas locorum naturalem etiam memoriã cõ-  
turbare solet: distantia longior moram adfert. Dista-  
bunt igitur inter se loca sex ferè pedes, aut quatuor  
passus, v. l. si placet, quinque.

Ne nimis alta, nève nimis depressa loca eligantur:  
nimia enim alleuatione, vel depressione oculi offen-  
duntur in recitando: sint septem, aut octo pedes alta,  
vt manu tangi possint.

Ne sint nimis lucida, vel obscura nimis: ne aut re-  
nebris obscurentur Imagines, aut nimio splendore  
præfulgeant.

Solitudo confirmat integras simulacrorũ figuras:  
quare loca seligere oportet sola, nec frequentata. Sed  
satis est illa semel aut bis vidisse vacua, etiam si soleat  
frequentari.

Sint loca nec ampla, nec arctata nimis: illa enim  
nimis amplas reddunt imagines: hæc verò imagines  
non capere posse videbuntur.

Sunt qui disponant ingeniosè in claustro quodam  
arbores pro locis, ordine Alphabetico, in quarũ trun-  
cis sint belluæ eiusdem literæ: in summitate verò ar-  
boris etiã eiusdem litteræ aues, vt Abies, Aper, Aquila,  
Buxus, Bos, Bubo, &c.

Sunt qui locos per quinariorum diuidant, & quinto  
loco manum auream collocent, decimo auream cru-  
cem, decimoquinto super crucem manum, vigesimo  
duas cruces. Alij hos quinariorum per literas aureas dis-  
ponunt: ita vt A, primum quinarium ducat, B, secun-  
dum, D, tertium &c.

Pro locis alij in aula vel claustro quodam animalia  
ordine Alphabetico disponunt. Vt Aries, vel Asinus,  
vel Aper, vel Aquila. Bos seu Basiliscus. Canis, seu

Cernus, seu Camelus, seu Ciconia. Draco, vel Delphinus, Equus vel Elephas. Faunus. Gallus, seu Gryps. Hircus, vel Hædus. Iuuecus vel Ibis. Leo, vel Lupus. Mulus. Noctua. Ovis, vel Onager, vel Onocrotalus. Pao, vel Porcus. Querquedula. Rhinoceros, vel Rhôbus, vel Rana. Simia, vel Sphinx, vel Sus. Testudo, vel Tigris, vel Taurus. Vacca, vel Ursus, vel Vulpes. Xiphia. Y littera. Zodiacus. Sed hæc animalia (vt & alia omnia loca) fingantur fixa & immobilia, alioqui cōturbabunt memoriam, quum alia iis pro imaginibus superponētur. Tum deinde hæc ipsa animalia in alios etiā locos poteris diuidere, vt in partes priores & posteriores. siq; copia locorum parabitur: nā qui multa volet meminisse, multos locos memoria naturali mādēt necesse est. Sicut Rauenās qui cētum decem millia locorum se parasse gloriatur.

Commodius autem disponentur loca, si à sinistris partibus Claustrum vel templi, iuxta consuetudinem scribendi sumferis exordium. alij dexteris malūt. vt cunque sit, per parietes eundum est, relictis intermediis domus.

#### DE IMAGINIBVS.

**I**Magines, simulacra, idola, signa, vel formę sunt notę quędam, rei, cuius rei meminisse volumus. vt homines, equi, leones, &c. Constāt autem quędam natura, quędam artificio. Sed quoniam solet accidere, vt imagines partim firmę, & ad mouendum idoneę sint: partim infirmę, atq; imbecillę: quas sequi, aut vitare debeamus, auerēdum est. Si quas res in vita videmus paruas, vilitatis, quotidianas, eas meminisse non solemus, propterea quod nulla, nisi noua, & admirabili re animus soleat cōmoueri. At si quid videmus,

demus, aut audimus egregiè turpe, aut inhonestum, inusitatum, magnum, incredibile, aut ridiculū, id diu meminisse consueuimus. Solis exortus, cursus, & occasus nemo admittatur, propterea quòd quotidie fiūt: at defectus Solis miramur, quia rarò accidunt, atque adeò Solis, magis quàm Lunæ, quoniam illi sunt rariores. Docet ergo natura se vulgari & vsitata re non excusitari: no autate verò & insigni quodam negotio commoueri.

Imagines igitur nos in eo genere consistere oportet, quod genus in memoria manere diutissimè possit. Id accidet, si quàm maximè notas similitudines constituemus: si non mutas, nec vagas, sed alicuius agentes imagines ponemus: si eam pulchritudinè, vel etiam turpitudinem eis attribuamus: si re aliqua, vt corona, vel illius veste exornabimus: si denique ridiculi aliquid appingemus, quo facilius eius meminisse possimus.

Querantur imagines, quoad eius fieri possit, rerum viuientium, atque adeò se mouentium; sic enim validius memoriam excitabunt. Equus pulset humū, lupus deuoret, cuniculus terram fodiat. Nec id ipsum animalcula parua præstabunt, vt pullex, formica, musca: sed pro formica multitudinem formicarum arborem ascendentium constitutam: pro pulice notū hominem quem aliquando pulices capientem vidi.

Si piperis, tritici, aut sinapis volueris recordari, appone notum tibi piperis, aut tritici grana motitatem. Idem sit iudiciū de rebus, quæ sese mouere nequeunt: vt campana, vestis, gladius.

Si res, cuius vis meminisse, tibi sit nota, siue illa corporata sit, siue expers corporis: semper illud agens

effingatur, quod ab ea potissimum fieri animaduerti-  
sti. Faber ferrarius ferrum è fornace fingatur educès:  
argentarius argenteum poculum expoliat. Gramma-  
ticam virgo cum ferula referat: Huc spectat pictura  
omnium artium: pictura quinque sensuum: pictura  
septem planetarum: pictura duodecim mèsium, atq.  
virtutum, & vitiorum. Hac in parte memoriæ studio-  
sum, memoriæ naturalis beneficio, in Ægyptiorù lit-  
teris, quæ Hieroglyphica vocantur, velim exercitatù:  
eucluat Emblemata variorum autorum: vt varias res  
variis significationibus depingat. Serpens caudā mor-  
dens pro anno ponitur: caput leonis pro vigilia: musca  
pro impudentia; laurus pro victoria: &c.

## DE REBUS IGNOTIS.

**R**erum notarum alias imagines non quaramus,  
vt Papa, Imperator, Episcopus, panis, vinum: &  
si velim illarum rerum, quæ in meo Musæo sunt, re-  
minisci, illamet meis locis collocabo. Si verò res, qua-  
rum vis recordari, notæ non sint, per alias tibi notas  
hoc erit agendum, siue eiusdem, siue diuersi nominis.  
Exemplum primi: volo Petri, vel Paulli, quos nūquā  
vidi, meminisse: collocabo in locis Petrū vel Paullum  
mihî notissimos, aut etiam D. Petrum, vel D. Paullū.  
Sic pro Cicerone mihî cicer succurret, pro Lentulo  
lentes, pro Fabio faba. Huc adde eadem nomina di-  
uerso significatione: vt pro porro, porrum: pro verò, ve-  
ru: pro cano, canem: pro Aristotele aristas: pro Plato-  
ne, Hispanè *plato*. Exemplum secundi Ouidij possum  
meminisse per magnitudinem nasi, quia Naso etiā di-  
citur: Platonis per humerorum amplitudinem, vnde  
illi nomen: Sallustij per intortos capillos, nā Crispus  
etiam

etiam dicitur: Horatij per demissas, & flaccidas aures, unde Flacci fuerunt nominati. Si velis meminisse huius vocis Hebraeae He, quod est Deus, finge tibi Heliam in curru igneo. Est Titulus in Digestis, De vi, & vi armata. huius Tituli facile recordabuntur, qui audierunt doctorem citantem & iterantem, de sex, & sex armata: putabat enim ille Vi & Vi esse numeros. Gestus itaque alicuius memoriam excitat.

Ponitur saepe causa pro effectu: vt pictor pro pictura, Bacchus pro vino, ferrum pro gladio. Contra etiam effectum pro causa: vt pictura pro pictore, codex Horatij pro Horatio, argentum pro patera.

Saepe etiam adiunctum pro subiecto, aut contra. Non possum ego meminisse Bejaris, nisi prius raptorum meminero; neque Olmedi, nisi prius raphani succurrat.

Virorum & aliarum rerum nomina per casus & numeros sic poteris reminisci. Homo nudus capite locum tangens, rectum singulare designet: dextra genitium; sinistra datium; dextro pede accusatum: sinistro vocatum; genu flexo ablatium. Homo vestitus iisdem motibus pluralem numerum significabit.

Numeros antiqui sic per digitos significabant. Tres digiti in laeva manu, minimus & primi duo usque ad nouenarium tantum indicandum sumuntur: pollex & index decades perficiunt usque ad nonaginta. In sinistra igitur auricularis suum tuberculum incuruatus tangens, unitatem significat. Annularis eodem inflexus modo, duo. Medius, qui dicitur Verpus, siue impudicus, aut infamis, suo tuberculo affixus, tria. Rursum Minimus elatus duobus sic manentibus, quatuor. Annularis etiam iuxta Minimum subleuatus, quinque. Eodem depresso reliquis erectis, sex significatur. Auricularis



ricularis deinde ad iunum palmae tuberculum appressus, septenarij signum est. Adiunge illi Annularem, & efficies octo. Adiunge duobus medium, & noué annumerabis. Porrò index in primam pollicis suffraginem vnguem affigens denarium commòstrat. Pollex Indicis affixus radici, viginti. Osculentur se inuicem Pollex, & Index, & triginta enumerabis. Pollex supra Indicem extentum extentus, facta cruce, efficit quadraginta. Quinquaginta efficit pollex, si palma tota passa, deorsum inflectatur, ita vt f. Græcum representet. Si super inflexam Pollicem superinducas Indicem, ita vt pollicis vnguis cooperiatur, efficies sexaginta. Septuaginta efficies si indicis in euri mediū articulū extentus pollex contingat. Index supra Pollicem extentum extentus, efficit octoginta. Inflexus Index ad radicem Pollicis affixus nonaginta concludit. Tum deinde transitur ad dextram, & eo pacto, quo in sinistra vnitates numerabamus, numerabimus hîc centenarios: quo verò modo illic denarios, hîc millenarios numerabimus. Hîc in multis Bedam non sequimur, sed Irenæum Theologum, & Græcorum aliquos, & Lucam Minoritam. Porrò si velis vltra procedere, decem millia signabis in sinistris partibus, si supinā extensam manum pectori admoueas: viginti millia, si eandem ponas pectori aduersam: eandem in eodem loco pronam, triginta millia facit. Eadem iuxta umbilicum supina, quadraginta millia. Ibidem prona quinquaginta millia. In femore sinistro posita supinè, sexaginta millia. Ibidem prona, septuaginta millia. Eadem iuxta inguina supinè, octuaginta millia: ibidem prona, nonaginta millia. Tum centū millia vsq. ad nonaginta millia in dextra eodem tenore computabis. Postremo

stremò digitis pectinatim insertis decies cētum mil-  
lia (quem numerum *cento* vocamus) numerabis.

Quum dictio gestum aliquem comprehendit, ge-  
sticulatio erit pro figura: pro spolio, colloco, qui alium  
spoliet: pro rapio, qui aliquid rapiat: sic amplector, of-  
color, diuido, &c.

Non semper erit necesse multos locos multis ima-  
ginibus inferuire. Nam vnus sæpè locus integram hi-  
storiam continebit. Vt si accusator dixerit: hominè ab  
reuo veneno necatū, idque hæreditatis causa factū ar-  
guerit, & eius rei multos dixerit esse testes & cōscios:  
huius totius rei imaginem in vno solo loco cōforma-  
bimus. Ægrotum in lecto cubantem faciemus illum  
ipsum, de quo agerit, si formam eius retinebimus: si  
eum non cognouerimus, aliquè ægrotum, non de mi-  
nimo loco, sumemus: vt citò in mētē venire possit:  
& reum ad lectum eius adstituemus, dextra poculum,  
sinistra tabulas, medico testiculos arietinos tenētem.  
Hoc modo & testium, & hæreditatis, & veneno neca-  
ti memoriam habere poterimus.

Aristotelem diuitem, Philosophum, Dialecticum,  
& Astrologum fuisse memorant. Finge hominem gra-  
uem aureo pileo insignitum; pone illi in dextra ramū  
viridem aureis & argenteis filis circumuolutum, in si-  
nistro brachio tortuosum anguem, eiusque sinistra  
sphæram applicato.

Si verò multa sunt, quæ memoriæ mandare velis,  
multos locos impleas necesse erit: vt si concionatorē  
audias sic dulcentem. Quemadmodum præta viren-  
tia variis odoriferisque floribus vestita oculos atque  
etiā animos solent exhilarare: sic animæ nostre hor-  
tulis suauissimis virtutis floribus depictus & exorna-

tus non solum nos beatos efficiet, sed cœlestes etiam  
 Angelos rapit in admirationem. Quæ rosa fragrantior  
 ipsa paupertate spiritu humili concepta, quæ cœlum  
 ipsum odore contingit? Quid suavius patientia miti  
 animo inhærens, quæ terram totam odore perfundit?  
 Luctus verò & suspiria huius exsiliij vera germinabunt  
 solatia. Fructus verò dulcissimus exuritionis iustitiæ  
 ad amplissimos ducet epularum apparatus. An verò  
 Hyacinthos aut violas mihi iucundiores enarrabis,  
 quam in egenos & miseros animum propensum, qui  
 præstantissimos fructus colliget, misericordiam vide-  
 licet, qua copiosissimè abundabit. Cordis autè mun-  
 dicies liliis candidior Deum ipsum, si non corporeis  
 oculis, at mente puta merceditur intueri. Quibus au-  
 tem floribus almam pacem comparabimus, qua qui  
 præditi sunt, filij Dei vocabuntur? Nec verò si in hoc  
 horto videas flores ab Austri violentia marcescentes,  
 de illorum vita desperandum putes, quoniam cœlum  
 ipsum eorū sedes erit. At vos Apostoli Dei, vera plan-  
 tatio in Hiericho, in quos hominum maledicta, per-  
 secutio, & prauum mendacium vires exercuit pro ve-  
 ritate tuenda, gaudete & exultate quoniã mercedem  
 supra quàm dici potest, amplissimam consequemini.  
 Huic sermone nouem locos iudico esse satis. In primo  
 fingam amœnissimum hortum, in cuius vna parte po-  
 nã amicam flores olfacientem, & manum ad cor ap-  
 plicantem: & altera verò aliam amicam ridentem, su-  
 pra illum duos Angelos admirantes, & hæc fuit illa si-  
 militudo. In secundo loco colloco Diuum Frãnciscum  
 pannis obsitum & deiectum, cuius ab ore rosa prodi-  
 bunt cœlum attingentes. In tertio, Iobum afflictum,  
 sed alio in loco ditissimum. In quarto D. Paullum su-  
 spirantem

spirantem dissolui, & esse cum Christo. In quinto, Ioseph virum D. Mariæ palmam & cedros tangentem. In sexto, Tobiam vel Abrahamum. In septimo Ioan. Baptistā digito Christum ostendendo. vel Ioan. Euāgelistam in Apocalypsi. In octauo D. Stephanū aspicientem cælos apertos, vel vnum ex Martyribus. In nono, aliquot Apostolos collocabo, regales illas fellas, vbi iudicaturi sunt, aspicientes. Possēt & vnus Christus, diuerso tamen positu, his depingendis sufficere.

Proderit & ad imaginum vsū partium hominis significationes memoria tenere. Caput erectum superbiam denotat, summissum tristitiam. Auris dicata est memoriæ: oculi pudori: lumbi seu renes castitatis: genua in misericordiæ. Verenda verecundiam representabunt: umbilicus, centrum, seu medium: pectus nudum, sinceritatem & candorē: coopertum, fallacem. Cor, amorem: Feliram: Manus hinc inde pendentes dolorem, vel desperationem: manus coniunctæ sursum, deprecationem: manus pectinatim iunctæ, admirationem: manus aperta, liberalitatem: compressa, auaritiam. Dextra altè in pugnum cōplicata, pugnam vel fortitudinem: humeri patientiam, vel onus: nates, ignauiam: Index ori admotus, silentium.

Planeris etiam partes hominis assignantur. Caput, & cor Soli: Lingua & os Mercurio: splen Saturno: hepatis Ioui: sanguis Marti: renes & genitalia Veneri: stomachus Lunæ.

Arieti caput humanum subesse dicunt: Tauro cervicem: Geminis humeros: Cancro cor: Leoni pectus & stomachum: Virgini ventrem: Libræ renes, vertebraeque: Scorpioni genitalia: Sagittario femoralia: Capricorno genua: Aquario tibiae: Piscibus pedes.

Autores

Autores citatos in memoriam reduces, si varia illis fingas integumenta. Satyrici mordaces canina pelle fingantur cooperti: Antiqui, situ obsiti & semilaceri: Imitator aliorum, simia pelle integatur. Si diues, aut rex aureo amicitur operculo.

### DE MEMORIA VERBORVM.

**I**N retinendis verbis plus negotij suscipiemus, sed Imagis ingenium exercebimus. Atque aded ex hac difficili consuetudine sine labore ad illam facilitatem transire poterimus. Sed hæc imaginum conformatio tunc valet, cum naturalem memoriam exercucimus: oportet enim verbum, vel periodum propositam bis aut ter repetere: tunc principium & aliena eius verba (nec enim omnia necesse est) ad imagines referre.

Si velis meminisse huius conjunctionis, & pones Erasmus qui tangat locum, & Thomam coram eo: quod si Thomas tangat locum, & Erasmus sit coram eo, non &, sed, te, scripseris. Eodem pacto Simon & Ioannes facient, Si, Ioannes & Simon facient, Is.

In dictione, vel syllaba trium litterarum si sit vocalis in medio, ultimam litteram facio imaginem cum re aliqua que à duabus reliquis incipiat: vt in Bar. Romulus cum baculo. Si verò sit vocalis in fine aut in principio, prima littera erit figura cum re que incipiat ab aliis: vt Bra; ponam Benedictum cū rapis aut raphanis: & in Amo, Antonium molam voluentem; & si Erasmus posuero cum mola, erit Emo.

In dictionibus longioribus sufficit primam & secundam syllabam posuisse. Nam pro pater, ponam Paulum, pro Pa. & pro Ter, que trium litterarum est,

vtat

vtar præcedenti regula. Romulum apponam cum tela.

Postremò cauendum ne imagini superponas imaginem: nam si chartam scriptam superscribas, lituras potius quàm literas efficies. Quare post impletos locos finge aliquem, qui apprehenso baculo totam imaginum compositionem disturbet: tunc denuò poteris nouam telam per vacuos locos exordiri.

## TOPICA CICERONIS

EXEMPLIS ET DEFINITIONIBUS ILLUSTRATA PER FRANCISCUM SANCTIVM BROENSEM IN  
 inclyta Salmanticensi Academia Præmarium Rhetorices professorem.

LOCVS EST ARGVMENTI SEDES.

Argumentum est probabile inuentum  
 ad faciendam fidem.



ARGVMENTA ducuntur ex locis aut in re ipsa insitis, aut assumptis, insita sunt: Totũ, Partes, Notatio, Affecta, que sunt: Coniuncta, Genus, Forma, Similia, Dissimilia, Cõtraria, Adiuncta, Antecedentia, Consequentia, Repugnantia, Causse, Effecta. Comparatio parium, maiorum, minorum. Assumpta dicuntur que absunt longeq; disiuncta sunt, ut testimonia.

TOTVM hic vocamus illud de quo differitur, quod non alia re melius, quam definitione adhibita explicatur.

F

DEFI-

DEFINITIO est oratio qua id quod definitur explicat quid sit. Cuius duo precipua sunt genera. Primum, Ousia seu id est, Essentiale quod vim, naturamq; rei declarat. Alterum, Κατὰ συμβεβηκότε. i. Accidentale, quod rem ex his tantum, qua naturam eius non attingunt, cognoscendam proponit, Definitio constat ex genere & differentiis. Tria definiendi precepta enumerantur. Ne in rem aliam ullam transferri possit: ne quid in ea redūdet: nequid illi desit. Huc etiam referuntur DESCRIPTIO NES. Ouid. Sulte quid est somnu, gelide nisi mortis imago? Horat. Ira furor breuis est. & descriptio Fama apud Virgilium.

PARTES dicuntur in quas totum diuidimus, siue forme sint, siue etiam partes. Sed cum generis forme enumerantur diuisione utimur, cum rei partes, partitione. Catullus, Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est: Tertia pars marri data, pars data tertia patri: Tertia sola tua est, noli pugnare duobus, Qui genero sua iura simul cum dote dederunt. Cic. Offic. Sed omne quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri, solertiaq; versatur, aut in hominum societate tuenda, aut in animi excelsi magnitudine, aut in omnium que sunt, queq; dicuntur ordine, & modo.

NOTATIO siue nota, Græcè Συμβολον, siue Ετυμολογία, vim nominis, non rei explicat. vt assiduum ab asse dando. Ouid. Est via sublimis caelo manifesta sereno, Lactea nomen habet, candore notabilis ipso.

CONIUGATA sunt verba generis eiusdem qua orta ab uno vari commutantur. vt sapiens, sapienter sapientia. Hæc coniugatio Græcè Συζυγία dicitur. Terent. Homo sum humani à me nihil alienum pro. Cic. in Pisone, Cum enim esset omnis causa illa mea consularis & senatoria.

toria: auxilio mihi opus fuerat & consulis & senatus.

GENVS est quod duas aut plures partes sui ipsius  
communione similes amplectitur. Refellit semper speciem,  
ut si arbor non est, laurus utique non erit. Probat tamen  
speciem aliquando, sed in iis solum quae vniuersae dicuntur.  
si enim omnis arbor vere germinat, etiam laurus germi-  
nabit. Ouid. 1. Aeternum animal in deos, pisces, feras, volu-  
res, homines partitur.

FORMA siue species est pars subiecta generi. sic dicta  
non confusum & informe genus formet & speciendum,  
exhibeat. Probat semper genus, ut si iustitia est,  
virtus est. Refellit tantum quando omnes auferuntur, ut  
si neque iustitia, neque prudentia, neque fortitudo est, aut  
temperantia, non est igitur virtus. Hinc possunt referri  
EXEMPLA quae rebus generaliter propositis subiciun-  
tur. Cic. De praesentiam suam exhibent hominibus, ut  
Castor, Pollux, Fauni.

SIMILIA sunt cum duae, aut plures diuersae res si-  
mili quadam inter se affectione comparantur. Virgil. O  
formose puer, nimium ne crede colori: Alba ligustra ca-  
dunt, vaccinia nigra leguntur, neque interest, ficta sint an  
vera quae proponantur. ut illud Horatii: Ne moueat cor-  
nicularisum. Quo etiam ex genere sunt Socraticae indu-  
ctiones, quas Graeci Επὶ τοῦ εἴδους dicunt. INDUCTIO au-  
tem est oratio quae ex rebus singulis progrediens, ad res v-  
niuersas peruenit. ut gubernator is demum est optimus,  
qui peritus & doctus: itemq; auriga: & reip. moderator:  
& imperator. Qui igitur in quaque re peritus est, is est ha-  
bendus praestantissimus.

DISSIMILIA siue differentia sunt quae in diuer-  
sa qualitate comparantur. Virg. At non ille (satum quo  
te mentiris) Achilles, Talis in hoste fuit Priamo. Ouid.



*Non formosus erat, sed erat facundus Ulysses. Horat. Cælum non animum mutant, qui trans mare currunt. Locus hic aptissimus est ad distinguendum, quæ vicina vel affinia videntur, nisi animadvertas. Cicero in Verr. Non enim furem, sed raptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitia: non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumq;: non sicarium, sed crudelissimum carnificem civium faciorumq; in vestrum iudicium adduximus.*

**CONTRARIA** quatuor modis dicuntur. Primo **merè contraria**, quæ dicuntur **ADVERSA** Græcè **Ἐναντία**, sunt autem quæ in eodem genere plurimum differunt. ut *sapientia, stultitia. Virg. Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes. Tibull. Sic mihi seruitium video, dominumq; para: am, Tu mihi libertas illa paterna vale. Secundo PRIVANTIA Græcè **Ἐστεγνία**, habitum, habitusq; privationem significantia. ut *Dignitas, Indignitas, Prepositio enim, in, privat verbū ea vi quam haberet, si, in, prepositum non fuisset. Martial. Ebrui es, nec enim faceres hac sobrius unquam. Tertio RELATA, ea sunt, quæ se mutua naturalis affectionis relatione complectuntur. ut *multa, pauca. Martial. E sermo scis te genitum, blandeq; fateris, Cum dicis dominum Sosbriane patrem. Quarto NEGANTIA, Græcè **Ἄπορτία**, quorum alterum ait, alterum negat idem, ut *bonum, non bonum. Si hoc est, illud non est. Martial. Bella es, non minus: & puella, verum est: Et dives, quis enim potest negare? Sed de te nimium Fabulla laudas, Nec dives, neque bella, nec puella es.****

**ADIVNCTA** sunt quæ ipsi rei de qua agitur (sive corporea sit, sive incorporea) proximè adiacent, & coherent. *Martial. Crine ruber, niger ore: brevis pedæ, lemine insous, Rem magnam præstas Zoile si bonus es. Hac*

refer ATTRIBUTA rerum & personarum.

ANTECEDENTIA, vel præcurrentia sunt que rem necessario antecedunt. vt, Si peperit, cum viro concubuit. Si homo est, animal est.

CONSEQUENTIA qua rem necessario consequuntur. vt si virtus aboletur non erit iustitia, sed iustitia erit, igitur & virtus. Ex antecedentibus & consequentibus fiunt syllogismi quos hypotheticos vocant.

REPUGNANTIA sunt que nunquam cum re coherere possunt. vt si dormit, non scribit. Dormire enim & scribere non sunt contraria, sed simul vna in re non coherent.

CAUSÆ sunt quarum vi aliquid est: vt finis, forma, efficiens, materia. Sed hic Cicero de causis tantum efficientibus agit. Terent. Videntur orium & cibus quid faciat alienus. Aristoteles in rhetoricis septem enumerat causas humanarum actionum, que sunt: Fortuna, Vis seu necessitas, Natura, Consuetudo siue mos, Ratio, Ira, Cupiditas, Cic. pro Milone. Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus & feris natura ipsa præscripsit, vt omnem semper vim, quacunque ope possent à corpore, à capite a vita sua propulsarent.

EFFECTA vocamus qua de causis existunt. Vt enim causa, quid sit effectum indicat, sic quod effectum est, que fuerit causa demonstrat. Horat. Quid non ebrietas designat? operta recludit. Spes iubet esse ratas, in prælia trudit inermem, &c. Huc referuntur & CONSILIA, vt Permissio nem interfecti iussit Alexander propter conuincationis suspicionem.

COMPARATA sunt ea que inter se conferuntur. Hec autem sunt, aut parium, aut maiorum, aut minorum. PARIA sunt cum ex quantitate pari vel equali, par

li, par & equalis approbatur. Terent. *Quando ego non curo tuum, ne cura meum.* Ovidius, *Quot cœlum stellas, tot habet tua Roma puellas.* MAIORA sunt quando ex maioribus minor a disputantur, Ouid. *Servare potui, perdere an possim, rogas?* A MINORIBVS non sine copia maiora commonstrantur. Horat. *Ut iugulent homines, surgunt de nocte latrones: Ut te ipsum serues, non expergisceris?* Cic. pro Murena multis verbis comparat inreconsultum Imperatori.

QVÆ EXTRINSECVS adferuntur probationes sunt artis expertes vt tabule, testes, testimonia diuina, aut humana, &c. Lucanus. *Quis iustius induit arma Scire nefas, magno se iudice quisq, tuetur. Victrix causa Deis placuit, sed victa Catoni.* Cic. *Ut est apud pœtam, nescio quem: Male parata, male dilabuntur.*

DOMINO

D. RODERICO ORDONEZ PVERTO CARERO,

FELICISSIMI INGENII MAGNÆQUE

ſpei puero, ſuoque alumno cariffimo Sebaſtiano del Monte Conchenſis bonarum artium ſtudioſus S.



**N**ATUS EST, mactē virtute puer, meus erga te incredibilis amor, ea in tuos literarum progressus propensā voluntas, vt multum me non fecisse existimem, si nocte, dieq; in illis potissimum rebus elaborem, quibus & te omnibus, quod iam facis, mirabilem prestes, & me iniuncti muneris diligentem exequutorem fatearis. Quum superioribus igitur diebus, & salutandi causa, id quod sepe facere soleo, & diuina pene hominis suauitate, & disciplina animum oblectādi, me ad meum, tuum, omniumq; meritò Magistrum Franciscum Sanctum Brocaensem contulisset, quem vnum nostrae ciuitatis & ingenio, & doctrina prestantissimum audeo dicere, ibiq; post multos sermones vltro citroq;, vt fit, de aliis rebus habitos, publici illius certaminis sermo incidisset, quod in Regine obitu cuiuscunq; generis Pierides laceſſebat, illius me hercule ingenio dignas animaduersiones in singula propè certaminis istius verba depromsit. Cuius rei quā causam altius essem perscrutatus, suaves Latine lingue flores, quibus vndique certamen scatebat, quosdam carpsisse, non sine stomacho audiui. Neque hoc vnquam, vt

*bis detractoribus aliqua ex parte satisfaceret, fuisse aggressum, sanctissime testabatur: quin potius dum reprehensionis causam inuestigasset, hoc illorum acuminis testimonium, nulla data opera, congesisse. Ego tamen, qui excellentis huius viri non solum scripta, sed verba etiam cum illo, qui Apollinis oraculo sapientissimus est indicatus, conferenda semper existimaui. & tibi, & mihi ipsi, ceterisque istius humane facultatis studiosis inhumanus videbar, si tali beneficio mea saltem iniuria fraudaremur. Quapropter quum mutuo haec ab illo accepissem, rei elegantia captus in consulto illo, & inscio, inuitoque, forsitan, haec ut iacebant a pluteo ad typum quam celerrime transfudi. Fruere igitur, ingemose puer, tanti viri laboribus, & vigiliis, qui (quod de Scipione scribebat Cato) nunquam minus otiosus, quam quum otiosus est: meamque, qui illi discipulus sum, erga te benevolentiam in dies tibi, si pote erit, maiora daturam boni consule. Vale,*

RESPON-

## RESPONSIO AD QVÆDAM

## OBIECTA.

**S**CRIPSI in quadam epistola: *iusta sollemnia* facere. reprehedor in orthographia, & in significatione: nam sollemne, inquit, est quod quotannis fieri solet. Orthographia vera est: dicitur enim sollemnis à sollo voce Osca, i. totum, teste Festo. mnis autem est productio vocabuli, vt in legitimus, æditimus. Aldus in Orthographia sic ait: Sollemne, non sollenne habent antiquissimi libri & lapides. Analogia Solenne videtur probare, si modo à Solo anno deducitur, vt quibusdā placet. In hoc tamen plus antiquitati demus, quā analogiæ. vide Festum in Sollo, & Osce. hæc Aldus. Sollemne autē nec derivari ab anno, nec significare quod solet quotānis fieri, hæc testimonia demonstrabunt Horat. lib. 1. ep. 18. *Romanis sollemne viris opus, vtile fama.* Idē li. 2. ep. 1. *Roma dulce diu fuit & sollemne reclusa, Mane domo vigilare, cliēti promere iura.* Idē li. 1. ep. 1. *Insanire putas sollemnia me, neg, vides?* Plin. lib. 28. c. 9. Certē nouę nupta intrātes etiā sollemne habent postes eo attingere. Virg. lib. 12. *Imperiū sollemne socer, mihi mœnia Teucrī Cōstitueri.* Cic. ad Att. lib. 7. Tātum igitur nostrū illud sollemne seruemus, vt ne quem istuc euntē sine literis dimittamus. Tacit. lib. 12. Et funeris sollemne petinde ac D. Augusto celebratur. Idem li. 3. dixit. Funerū sollemnia. & li. 11. Nuptiarū sollemnia. Sollemne igitur semper significat aliquid præcipuum, integrū, singulare, & eximū. Sic Horat. lib. 4. oda 11. *Qui dies iure sollemnis mihi, sanctiorq, penē rat ali propria.* Et Virg. li. 5. *Annua vota tamen, sollemnesq, ordine pōpuli.* i. p̄t̄ excellentes.

lentes. Qui locus decepit Grammaticos, propter annua vota. Qui sapiunt, scribunt sollemnis, sollicito, sollertia, sollers. i. totus ars.

¶ *Sumtus, emtus, contemsi, cōtemtum* scribo sine p. quia verbi characteristicam literam perire nō debet, & à Barbaro sæculo dimanavit emprū, cōptum. Barbari scribebant hyemps, dāpnatus, sompnare, ptompsi. Marius Victorinus in lib. de Orthographia sic ait: Nā hieus, & sumsi, & insumit, & demsit sine dubio per m. f. scribetis. Et quādo in harum vocem mentionem incidimus, nec consumptum, nec emptum, nec temptat, & similia istis per p. t. scribetis vitiose, sed vt ego scripsi iuxta m. t. ponetis. Sed de hoc latissimè Lambinus in prologo in Horatium.

¶ Archaismon obiciunt, quia dixi: *Si pote est*. Nōmē potis & pote. nō differt à foris & forte, nisi quod etiā in neutrali genere aliquando potis reperitur. Lucre. li. 1. *Coniunctū est id, quod nunquā sine pernicali Discidio potis est seungi, seq. grega.* Idē lib. 5. *Nec potis est cerni, quia cassū lumine fertur.* Loquitur de corpore Cattul. *Quantū qui pote plurimum perire.* De voce Potis in masculino, & femin. multa sunt testimonia. Virg. 3. *Æn. Nec potis Ionios fluctus equare sequēdo.* Idē *Æn. 11. At nō Euandrum potis est vis vlla tenere.* Sed hoc nemo opinor negabit. De pote videamus, an sit Archaismos. Cic. de Claris orat. *Hospes nō pote minoris.* Idē. *Att. lib. 12. epist. 39. Ego quid homines aut reprehendant, aut postulent, nescio, ne doleam? qui pote est? ne taceam? quis vnquā minus? ibid lib. 13. epist. 37. Hoc quidquā pote est impurius? Persius saty. 1. Qui pote? vis dicam? Propert. lib. 2. eleg. 1. *Qua pote, quisq; in ea conteras arte diē.* Catullus. *Vna salus hac est, hoc est tibi peris-**

*peruincendum, Hoc facies, siue id non pote siue pote. Idē. Aut si perditus pote est quid esse. Teren. Adel. act. 2. sc. 3. Nihil pote supra. Plau. Cas. scen. Oranib. Non pot' est impetrari. Idem Mostel. scen. Iāpridem: Uah, quid illa pote peius quidquam muliere memorariet? idē Manech. sce. Ut ætas. Ibo, atq; arcessam medicum iam quantum pot' est. Idem Persa scen. 1. Quin si egomet totus ueneam, uix recipi pote sit, quod tu me rogas. Priscia. lib. 15. Hic & hæc potis, & hoc pote: unde potior, potissimus.*

¶ *Pia, potentissimaq; regina: negant posse dici, quia cōtra coniunctionis officium positiuo superlatiuo coniunsi. Cōiunctionis officium esse semper docui contra Grāmaticos, sententiā sententia, non similes casus aut nomina cōiungere, ut si dicas: Doctè, & acri uoce disputat: Roma, non in agro uiuit: uir lingue suauissima, acriq; ingenio. Plin. lib. 7. c. 2. Gentem siluestrem sine uoce stridoris horrēdi, hirtis corporibus. Ex multis Plinij locis vno cōtētus ero, ubi superlatiuos cum positiuis, & comparatiuis miscet. lib. 21. c. 11. Melilotos ubiq; nascitur, laudatissima in Africa, ubicūq; uerò recēs, nec candicans, & croco quā simillima, quam in Italia odorator, & candida. Horat. ut supra: Jure sollempnis mihi, sanctiorq; natali propria. Ouid. 4. Metam. Tu puer æternus, tu formosissimis alto Cōspicereis cælo. Ibi. Ut quos certus amor, quos hora nouissima iunxit, &c.*

¶ *Celebrare regis uxorem, reprehendere conātur, quod sit accusatiuus personæ. At Cicero pro Mura. à nobis stat, quum scribit: Nuncij, literaq; celebrant eum factum cōsulem. Idem pro Arch. ingenio alicuius Poëtæ aliquem celebrari. Ouid. 2. Art. in fine. Me uatem, celebrate uiri, mihi dicite laudes. & lib. 1. Amorum Carminibus*



Carminibus aliquem celebrare dixit. celebratus, & celebrandus passim inuenies.

¶ *Vt Poëta aliquam prælucescere facem*, scripsi. Nescio quid hic possint reprehendere nisi summam elegantiam. Lucere vel prælucescere facem, cereum, candelam alicui selectum loquēdi genus est: aut lucere vel prælucescere cum datiuo, suppresso accusatiuo, vt illud: Ego meis maioribus virtute mea præluxi. (i. facem, vel cereum. Sueton. Aug. cap. 29. Seruamq. prælucescentem exanimasser. Plaut. Casi. scen. Non mihi. *Primum omnium huic lucebis noue nuptæ facem*. Idem Curc. sce. 1. *Tute tibi puer es lautus, luces cereum*. Aurelius Victor de viris illust. Duillio concessum est, vt prælucescente funali, & præcinate tibia à cœna publicè rediret.

¶ *Threnos deslere* dixi, Græcos imitatus, qui passim verbis cognatos accusatiuos adiungūt: vt seruitutem seruire, certamen certare, ludum ludere: sic *θρήνων θρήνεις*, i. deslere lugubria. Sic Cicero dixit Casus deslere: Funera flere Ouidius, & Fortuna tua flenda est. Itaque fleo, vt & reliqua omnia verba (passiuus exceptis, & substantiuo) actiuum est.

¶ *Debito epachlon non fraudabitur*, scripsi. Si Epachlon (inquiunt) vox Græca est, quor Græcis characteribus nō signatur: deinde quor in sexto casu, quo Græci carent, collocatur? Respondeo siue Græcis siue Latinis literis scribatur, Græcum esse nomen, & aptissimè in sexto casu cum suo adiectiuo collocari. Græcos autem sexto casu carere (quod etiã doctis persuasum esse video) semper docui esse falsissimum. Nam tot debent esse casus in nominibus, quot possunt esse casuum officia. Nec vni casui (prepositionum vires excipio) duo aut plura officia sunt tribuenda. Itaque Datiuus Græcè &

cè & Latinè semper purgatis auribus acquisitionem, seu damnum vel commodum significabit: nunquam instrumentum, aut modum, aut causam, aut rem ( vt imperiti vocant ) agentem. Vnde peius delirant, qui apud Græcos datiu præpositiones excogitarunt. Græcos itaq. non carere sexto casu sæpissimè deprehēdes apud Ciceronem quoties Græcis ablatiuis vtitur: ego tibi paucis hoc ostēdam, tu cætera, si libet, expiscator. Cic. Att. lib. 1. *Quα το πο τείη*. quasq. historias de ἀμαλθείη habes? Ibid. lib. 4. In πολιτείη. Ibid. lib. 10. Α ζηλοτυπεία mea. Ibid. lib. 16. Nunquam in maiore ἀπορεία fui. Ibid. Prudentia cum ἐνκειεία. Ibid. ἐν πολιτικῷ genere. Idem lib. 3. ad Q. Frat. τὰ ἀποδεικτικῶ nihil altius. Idem lib. 6. famil. Nō enim seunctus locus est à philologia, & quotidiana συζητίσει. Iuven. Penelope melius, melius torquetis Arahne. I nunc & σὺν Θεῷ, & ἐν χερσίν, i. cum Deo, & in manibus, crede esse datiuos.

¶ *Prorsam orationem*, non profsam scribo. Prorsilimites (inquit Festus) appellantur in agrorum mensuris, qui ad orientem directi sunt. Idem, Prorsum ponebāt pro recto. Donatus in Terent. Pror(a (inquit) oratio, quam non inflexit cātileua. Scio antiquissimos dixisse profsam, non prorsam, quia concursum. r. cum f fugebant: vnde dicebant rufum pro rursum, fufum pro furtum, asum pro arsum, profsum pro prorsum. & vestem quandam vocabant profsam, pro lōga. De Prorsa Dea Agellius lib. 16. cap. 16.

¶ *In ea re aliquem excellere, quā in re.* Sunt innumera testimonia, quibus hoc politum dicendi genus cōfirmemus, sed pauca proferamus. Cic. Oratoris officiū est de his rebus posse dicere, quæ res ad vsum ciuilem &c. Cæsar 1. Gall. Erant omnino duo itinera, quibus itineribus

itineribus domo exire possent. Cic. 3. Ver. Ego tibi illam Aciliam legem restituo, qua lege multi sunt accusati. Ibid. Ex ea die, ad hanc diem quæ fecisti, in iudicium voco. Idem 4. Verr. Edictum enim hominis cognoscite, quo edicto omnia iudicia redegerat in suam potestatem. Idem Att. lib. 13. Is causam habet, quam causam ad te defert. Plaut. Stichus, *Est causa, qua causa mecum ire non vult.* Terent. Hecy. *Eodem ut iure uti senem liceat, quo iure sum usus adolescentior.*

¶ *Elegantissimum aureum annulum.* Valla lib. 3. cap. 4. duo adiectiva vni substantiuo addi posse negat. Sed longè fallitur, ut alibi probauimus. Nunc pauca testimonia proferam. Cic. pro lege Manil. Mithridates magnis aduentitiis multarum nationum copiis adiunbatur. Ibid. Quum ita clauia erant nobis omnia maria, ut nec priuatam rem maritimam, nec publicam gerere iam possemus. Idem 2. Verr. Crepercius ex acerima illa equestri familia. Cæsar 1. Gall. Quem locum duplici altissimo muro munierant.

¶ Sonetta quæ dixerim, & duplici tē, scripserim reprehendor. Nam nouæ voces aiunt præfacituncula molliendæ sunt, (ut ita dicam) (ut ita liceat loqui) nōne ridiculus esset, qui sic loqueretur: confero me Madritum, ut ita loquar? venio Burgis, ut ita dicam? Aliud igitur est noua nomina inuenire, aliud inuentis uti, etiam si apud Latinos non inueniantur. Quæ duo tē, quia sic scribunt Toscani nomina deminuta.

¶ *Aliena poemata nemo pro suis usurpato.* Usurpare (inquiunt) est in frequenti usu habere: & quid necesse fuit addere, Pro suis? Nōne & usurpare capitur pro capere? atqui id frequentissimum est. Et quod est apud Gellium lib. 3. cap. 2. de usurpatione, id est, vsucapio-

nis interruptione, nō probat Charondas ad leges XII. tabularum. Cic. 7. Verr. vſurpare, ac retinere. Idē pro Marcello Crebris ſermonibus vſurpare dixit: Et quur addidit, crebris, ſi vſurpo frequentatiuum eſſet? Ego, addidi, Pro ſuis, more Terentiano. in Andr. Fatetur tranſtulſſe, atque vſum pro ſuis.

*Nemo vno plus præmiū expectato.* Dicendum erat (inquiunt) vno plus præmiō, quia Plus ſubſtantiuum, non adiectiuum eſt. Ego contra ſentio, nam plus in neutrali terminatione ſemper adiectiuum eſt, vt victrix in ſæminina, alma etiam in ſæminina, quur enim dicas victricem legionem aliud eſſe quàm victrices legiones? Itaque quum dicis plus emi, deſt plus aris precio emi. Sed exemplis agamus. Salluſt. Iugurth. Neque plus precij coquum. vide Varr. Cicero 2. Orator. & in Academ. Quum plus vno verum eſſe non poſſit. Idem lib. de Legibus. Hoc plus ne rogum facito. Idem 1. Nat. Deorum. Alterum certè non poteſt, vt plus vna vera ſit. ſ. opinio. Idem Att. lib. 1. Vt hoc noſtrum deſiderium ne plus ſit annum. Hæc cuſim adnotabam, qui plura volet, Muſæum noſtrum adeat.

F I N I S.

ANTVERPIAE  
EXCVDEBAT CHRISTOPHO-  
RVS PLANTINVS, ARCHI-  
TYPOGRAPHVS REGIVS,  
ANNO MD. LXXI,  
MENSE SEPTEMB.